

REGIONVM
INDICARUM PER
Hiſpanos olim devaſtatarum accuratiſſima deſcriptio, inſertis Figuris æneis ad vivum fabrefactis.

Authore
BARTHOLOMÆO de las CASAS
Epiſcopo Hiſpano.

Editio nova Priori longè correctior.

HEIDELBERGAE,
Typis GVILIELMI VVALTERI
Acad. Typogr. *A. S. MDCLXIV.*

4-XIII b A
17741

TARTU ÜLIKOOLI
RAAMATUKOGU

BIBLIOPOLA LECTORI
FELICITATEM.

DE Græcorum Romanorumque ex Bello Cladibus scribens *Lipsius*, eorumque exemplo ad Constantiam eos hortaturus, qui parem passuri essent calamitatem, truculentas Hispanorum adversùs Indos expeditiones sic depinxit : *Non habet omne ævum, quod adstruat his exemplis, præter nostrum; sed in Orbe alio. Pauculi Iberi ante annos octagin-ta in vastas illas & novas terras delati, quæ funera, Deus bone, ediderunt! quas strages! Nec de causis aut jure belli dissero, tantùm de eventis. Cerno ingens illud terrarum spatium, quod vidisse magnum sit non dicam vicisse, à vicenis tricenisq; militibus pervadi, & passim inermes illos greges sterni, ut segetem à falce. Ubi tu es Insularum maxima Cuba? tu Hayti? vos Iucayæ? quæ olim quingentis aut sexcentis hominum millibus succinctæ, alibi vix quindecim ex iis retinuistis in semen. Ostende etiam te paullùm tu Peruæna, tu Mexicana ora. Heu miram miseramq; faciem! immensus ille tractus & verè & alter Orbis vastus attritusq; apparet, non aliter quàm si cæleſti quodam igne deflagrasset. Mens & lingua mihi cadit, dum hæc memoro : & video nostra omnia præ istis non aliud quàm palearum cassa esse, ut Comicus ait, aut gurgulionculos minutos.* Hæc per transennam exhibuit politissimus Scriptor. Propiùs verò & sigillatim omnia recensèt, qui oculatus eorum fuit testis, Bartholomæus de las Casas, Episcopus Hispanus, cuius Tractatum avidè ac diu à Viris doctis desideratum, & multis à me efflagitatum Epistolis, publicæ iterum luci expono, nullus dubitans, gratissimum Literario Orbi fore hoc meum benemerendi

rendi ſtudium ; quod aliis etiam Scriptis haud ſpernendis patefacere allaboro. Vale pancraticè, quisquis es, Lector , & edita Sapientum templa venerantem favore tuo juva.



INDIARVM DEVASTATIONIS, ET EXCIDII BREVISSIMA NARRATIO.

ANNO milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo India inventa & detecta ; anno ſequenti ab Hiſpanis habitata eſt, ita ut multitudo quædam Hiſpanorum ab hinc quadraginta novem annis eò profecta ſit. Primò autem ad Inſulam Hiſpanicam appulerunt , quæ quidem fertiliſſima eſt , & propter amplitudinem & longitudinem , ut quæ ſexcenta milliaria in circuitu habeat , hoc tempore celebris. Undequaque autem circuitur penè innumeris inſulis , quas & populo , & naturalibus incolis ita refertas vidimus, ut vix in toto terrarum orbe regio tam multis habitatoribus munita , reperiri poſſit. Terra autem firma , quæ ab hac Inſula ducentis quinquaginta, & paulò plus , milliaribus diſtat ultra longitudinem decem millium milliariorum , circa littus maris, protrahitur , quæ quidem terræ jam repertæ ſunt , & plures , procedente tempore , deteguntur : tanta autem multitudo has regiones incolit , & habitat , ut ibi ab Omnipotente major pars generis humani congregata , & convocata videatur.

Infinita autem hæc hominum multitudo ita à Deo creata eſt , ut ſimplicitate gaudeat , aſtutiæ , calliditatis , & malitiæ omnino expers ſit, & inimica, naturalibus dominis obedientiſſima, & fideliſſima ; erga ipſos verò Hiſpanos , quibus & inſervit , & ſubdita eſt , humilis , patiens , & pacifica exiſtat ; denique ut rejectis litibus & motibus , remotoque odio ſine vindictæ cupiditate vivat.

Hic populus delicatiſſimus eſt , & tenerrimus , ejuſque eſt tam debilis , & inæqualis temperies , ut laborem tolerare non queat , paucisque annis , quocunque tandem morbo , vitæ finem imponat , ita ut ipſi

Principum & Dominorum liberi, qui hic apud nos in delitiis, omniquerum affluentia nutriuntur, illorum etiam agricolarum natis delicatiores, & teniores non existant. Hæc gens est pauperrima, & maximè indigens, pauca possidens, bonis temporalibus non inhians, idcirco nec superba, nec ambitiosa. Tali verò cibo victitat, ut Sanctorum Patrum in eremo victus magis parcus, minusve delicatus haud extiterit. Nuditate, solis verendis tectis, pro vestimento utitur. stragula villosa, quæ est unius ulnæ longitudinis, vel tela, quæ est ad summum duarum, illi est loco maximi & calidissimi tegumenti. Tegeti verò incumbit, & quibus pinguior est fortuna, retia in quatuor angulis, nodis alligata, pro lecto sunt, quem suo idiomate Insulæ Hispaniolæ habitatores Hamecas appellant. Ingenio subtili, docili hi homines præditi sunt; gens est docilis, & omnis bonæ doctrinæ capax, & ad sanctam nostram Catholicam religionem suscipiendam aptissima; neque etiam inhabilis ad bonos mores, ut quæ non tam variis, quam reliquum hominum genus, impedimentis, distrahatur: ita ut, vel primis labris, fidei, ut ita dicamus, rudimentis degustatis, tanto desiderio & fervore ad exercitium Sacramentorum Ecclesiæ, & servitii divini, feratur, ut ipsis religiosis ad tantos impetus sustinendos, maxima, & singnlari patientia opus sit. Et ut finem imponam, sæpe Hispanos (qui bonam, quam in illis cernebant naturam; negare non poterant) hoc proprio ore proferentes audivi; nempè ad vitæ summam beatitatem, in illis solam Dei cognitionem requiri.

Ad agnos autem tam lenes, & dictis qualitatibus ab Omnipotente dotatos, ut tygres, lupi, & leones crudelissimi longa famæ oppressi, Iberi accesserunt, nulli rei ab hinc quadraginta annis incumbentes, præterquam cœdibus horum miserorum, quos diversis tormentorum generibus ab ullo antea nec visis, nec auditis (quorum aliqua pars inferius describetur) tam inhumanè & crudeliter lacerant, & dilaniant, ut ex tribus millionibus quos, sola Hispaniola Insula capiebat, jam ex naturalibus incolis vix restent trecenti. Cuba verò Insula, quæ in eandem longitudinem, qua Valladolid à Roma protrahitur, jam deserta, & inculta, in ruina jacet. Insulas Sancti Joannis, & Jamaycæ, quarum utraque & ampla est, & fertilis, desertas & desolatas conspicere licet. Lucayæ autem Insulæ ex ea parte, quæ Septentrionem respicit, Hispaniolæ & Cubæ vicinæ; quæ sexaginta sunt numero, vel circiter, cum Insulis, quæ vulgo Gigantum appellantur, & aliis, quarum, quæ infertilior est, horto Regio Hispalensi, fertilitate præstat, non sine maximo, & salubri aëris

aëris temperamento, jam omni habitatore vacuæ cernuntur: cum tamen ultra quingenta millia hominum in his regionibus (accedentibus Hispanis) vixerint, partim cæde sublati, partim verò vi extracti, ut in fodinis Hispaniolæ Insulæ, quæ sine naturali habitatore manserat, laborarent. Navis quædam has Insulas visitans, ut facta segete, residuæ spicæ (nam probus aliquis Christianus pietate, & misericordia motus, ut aliquas animas ad Christi cognitionem attraheret, tam periculosum iter susceperat) colligerentur, undecim tantùm homines, quos ipse vidi, reperti sunt. Aliæ plus quàm triginta numero Sancti Joannis Insulæ confines, omni populo spoliatæ sunt. Quæ omnes Insulæ duorum millium milliariorum longitudinem superant, & tamen omni populo, incola, & habitatore populatæ jacent.

Quod verò ad terram firmam attinet, certi sumus, & pro comperto habemus, inhumanis & execrandis suis factis decem Regna majoris amplitudinis, quàm sit tota Hispania, sub ea etiam comprehensis Arragoniæ, & Portugaliæ Regnis: id est ultra mille milliaria Hispanos expopulasse, & omni populo, & habitatore privasse, quæ præsenti adhuc die deserta; & ad deplorandam ruinam (cùm antea vix regio ulla majori incollarum numero abundarit) reducta cernitur. Nos autem pro certo affirmare audemus iis quadraginta annis, quibus cruentam, & detestandam suam tyrannidem in iis regionibus exercuerunt Iberi, injustè ultra duodecim (computatis tàm viris, quàm fœminis, & pueris] milliones hominum fato functos esse: Neque verò parcere me veritati existimarem, si ultra quinquaginta milliones hominum naturæ debitum persolvisse, dicerem.

Qui ex Hispaniæ remotis oris, ad has Insulas appulerunt, quique Christianos se esse jactitant, duplici præcipuè via, ad extirpandam & tollendam hanc nationem de facie terræ, processerunt. Quarum prior est injustum, cruentum, & sanguinolentum, quo usi sunt, bellum. Altera, quòd omnes eos de medio sustulerint, qui vel adhuc aliquid libertatis respirarent; vel qui resecatis, tam iniquæ captivitatis, vinculis, pristinam libertatem recupera e[quod quidem potentiores; virique strenui, & fortes animo volvebant) decrevissent: illis n. bello sublatis solas fœminas, & pueros hac aura frui patiebantur; quibus posteà tam suave jugum imponebant, ut bestiarum non sit deterior conditio. Ad quas duas impiæ tyrannidis species, tanquam subalterna ad genus, reliqui, & i finiti modi quibus ad extirpationem, & desolationem hujus populi utuntur, reduci, & revocari possunt.

Ad deſtructionem autem & deſolationem innumeri iſtius populi, ſolum aurum Hiſpanorum, ultimus finis, & ſcopus fuit; & ut exiguo tempore ditati, ad ſtatus, & dignitates, quæ perſonis nullo modo congruebant, tanquam unico ſaltu, pervenirent. Denique, ut uno verbo dicam, illorum avaritia, & ambitio, qua vix major excogitari poſſet, harumque regionum incredibiles divitiæ, incolarumque humilitas & patientia (quæ aditum ad has terras faciliorem reddebat) huic rei anſam præbuere. Quod tanto contemtui habebant, ut eos [de iis, quæ præſens vidi, omni mendacio ſepoſito, loquor) non ut beſtias, hoc enim peroptarem, ſed ut abjectiſſimum terræ ſimum tractarent. Sicque de illorum anima, & vita ſolliciti fuerunt, ut ſupradictus numerus omni fide, ſacramentiſque privatus, vitam cum morte commutarit. Et hoc non minori veritate, quàm præcedentia, nititur (quod nec ipſi tyranni, & carnifices, ſine mendacii nota, negare poſſunt) ab Indis Iberos nulla unquam injuria affectos, ſed potius tanquam de cœlo demiſſos, eos coluiſſe, quouſque infinitis injuriis, violentisque tormentis, & ſuorum injuſta cœde laceſſiti, ad arma concurrere coacti ſunt.

De Inſula Hiſpaniola.

IN hac Inſula, ad quam primò Hiſpanos appuliſſe diximus, cruentæ cædes & hominum perditiones principia duxere: fœminas enim, & pueros Indis eripiebant, ut ſibi inſervirent, & eorum opera malè uterentur; eorum autem victum magno ſudore, & labore partum conſumebant, eo non contenti, quem unusquisque ſecundum ſuæ facultatis vires, quæ ſemper perexiguæ ſunt (neceſſaria enim tantùm ad vitam rejectis ſuperfluis, domi aſſervant) gratis dabat, unica autem die, quæ ad trium familiarum, quarum unaquæque decem perſonas caperet, alimentum unius menſis, ſufficeret, Hiſpanus unus abſumebat. Et ſic his malis fracti, tantisque afflicti tormentis, & violenta tractatione, tales homines è cœlo non eſſe miſſos, cognoſcere cœperunt. Et idcirco alii cibos, alii ſuas fœminas, & liberos in latebris abſcondebant: alii verò, ut gentem tam duræ, & terribilis converſationis fugerent, præruptа montium quærebant. Iberi autem non ſolùm colaphis, pugnis, & ſceleratis baculorum ictibus eos excipiebant; ſed etiam violentas manus in gubernatores civitatum injcere non verebantur. Et hæc eò temeritatis, & impudentiæ devenerant, ut quidam Capitaneus, totius Inſulæ po-

læ potentiſſimi Regis fœmina vi abuti auſus ſit. A quo tempore cogitare cœperunt, quibus modis & rationibus Hiſpanos regione ſua pellerent; armaque incontinenti ſuſcepere. Sed quæ arma Deus bone? ea ſcilicet, quæ majorem habent ſimilitudinem tam in offenſione, quam defenſione, cum puerorum qui certant arundine, luſu, quàm cum armis virorum.



Quod cernentes Hiſpani generoſis equis inſidentes, gladiis, & lanceis benè inſtructi, ſanguinolentis ſuis ſtragibus, & ſtratagematibus initium fecere ; civitatesque & pagos percurrentes nulli ætati, aut ſexui, ne fœminis quidem puerperis pepercere, quin ventre aperto vivas in fruſtra diſcerperent. Pignoribus poſitis ſimul certabant, quis unico enſis ictu hominem medium aperiret, vel diſcinderet, vel quis majori dexteritate corpus hominis capite privatum, truncum relinqueret, aut certè quis majori induſtria mucronem viſceribus adigeret.

Infantium, pedibus ex matris mammis arreptorum, innocentia capita rupibus conquaſſabant : alios, non ſine ſcomatibus in flumina proijciebant ; cadentiaque in aquam corpora, irriſione ſuæ crudelitatis & inhumanitatis teſte, ad motus invitabant : alios unà cum matribus enſium inhumanis mucronibus exponebant.

Cerra patibula erigebant, lata quidem, ſed ita demiſſa, ut pedes terram ferè attingerent, quorum unumquodque tredecim perſonis in honorem, & reverentiam, ut dicebant, noſtri Redemptoris & ejus Apoſtolorum, deſtinatum erat, quibus igne impoſito illis affixos, in cineres vivos redigebant. Quos verò vitæ ſupereſſe volebant eos ſemiſciſſis, & pendentibus manibus dimittebant ; cum hac fugæ exprobratione : Nuntias has ferte litteras iis, qui latitantes in montibus nos fugiunt.

Hac



Hâc morte communiter Dominos, & Nobiles mulctabant. Perticis furca ſuffutis craticulas ſtruebant, parvoque igne ſuppoſito, hi miſeri paulatim, animam, magnis clamoribus, tormentorumque deſperatione, efflabant.

Vidi aliquando quatuor, aut quinque ex potentioribus Dominis, his craticulis impoſitos torreri ; & non procul duæ, vel tres aliæ craticulæ iisdem mercibus inſtructæ viſebantur ; cumque magni, qui ibi audiebantur clamores, Capitaneo eſſent moleſti, quietemque ejus impedirent, eos laqueo tolli, & ſtrangulari juſſit. Spiculator, [cujus nomen mihi eſt notum, nec minus incogniti Hiſpali parentes) quo minus id fieret, prohibui-

prohibuit, ſed ori impoſitis epiſtimiis, ne illorum exaudirentur clamores, ipſemet ligna ſtruens, adfuit, quouſque ad placitum toſti, animam efflarent. Harum rerum, & aliarum innumerabilium, oculos habeo teſtes. Quia verò omnes, quibus data erat poteſtas, tam inhumanam gentem, ab omni pietate alienam, generiſque humani extirpatricem, & inimicam, tanquam ſcopulos evitantes, in montibus latebras quærebant; canes venaticos, & crudeles, ita inſtruxerunt, ut primo viſu, minimoque temporis momento Indianum, tanquam porcum, devorarent. Ab iſtis canibus hæ cædes, & devaſtationes patrabantur. Et quia quandoque rarò tamen, juſta æquitate moti Indiani, aliquos Hiſpanos cædebant, inter ſe hanc promulgarunt legem, ut pro uno Hiſpano occiſo, centum Indiani neci darentur.

De Regnis, quæ Inſula Hiſpaniola, capiebat.

HÆc Hiſpaniola Inſula quinque maxima Regna, totidemque potentiſſimos Reges, capiebat, quorum Imperio reliqui ferè Domini, quorum infinitus erat numerus, parebant. Erant etiam quarundam ſeparatarum regionum Domini, qui horum Regum, pro ſuperiore, nullum agnoſcebant. Horum Regnorum unum, Magua appellabatur, quod ſignificat planitiem. Hæc planities res eſt, ſi ulla in toto orbe, memorabilis, & ſcitu digna: Nam à meridie ad Septentrionem, in octuaginta milliaria porrigitur: latitudine vero quinque, octo, & quandoque decem complectitur: undique autem altiſſimis montibus circumcluſa tenetur. Illam alluunt ultra triginta millia fluviorum, & rivulorum, quorum duodecim celebribus illis fluviis Ebro, Duero, & Guadalquevir magnitudine non cedunt: Omnesque fluvii, qui è monte ad Occidentem vergente (quorum numerus eſt viginti millium) oriuntur, auro ſunt ditiſſimi. Quo monte, provincia Cibao continetur, unde, fodinæ Cibao; ex quibus prodit exquiſitum illud, & purum, tantique apud nos nominis viginti quatuor caratarum aurum; nomen habent. Hujus Regni Rex, & Dominus Guarionex vocabatur, qui ſub ſua ditione vaſallos, & Dominos tam potentes habebat, ut eorum unusquisque ad ſervitium Regis Guarionex ſexdecim millia militum adducere potuiſſet. Quorum Dominorum aliqui mihi noti fuere. Hic Rex erat obedientiſſius, & non mediocri virtute præditus, natura ſua pacificus, & erga Caſtiliæ Reges devotiſſimus: his ſuis ſubditis mandaverat, & juſſerat, ut eorum quisque tintinnabulum auro repletum daret; ſuccedente verò tempore, cum ſatisfacere non poſſent, eo medio ſciſſo, alteram partem implere juſſi ſunt, hujus enim Inſulæ habitatores ferè nullam extrahendi ex fodinis auri induſtriam, aut experientiam habebant. Hic Cacicus obtulit ſe Regis Caſtellæ ſervitio, ea conditione, ut illas terras, quæ ab Iſabella, in qua prima manſionis ſuæ habitacula fixerant Hiſpani, ad Sanctum Dominicum in longitudinem quinquaginta milliarium extenduntur, coli curaret: dicebat enim, nec veritati illius ſermo repugnabat, ſuos ſubditos non habere uſum & practicam auri fodiendi. Quibus promiſſis, & facilè, ut ſcio, & alacri animo ſtetiſſet, & inde ex annuo reditu ultra coronatorum Caſtellanorum, tres milliones, Rex percepiſſet, & jam, in illa Inſula quinquaginta urbes, Sevilia ampliores, cernere liceret.

Sed qua compenſatione, & remuneratione erga hunc tam clementem, & benignum Regem uſi ſunt? ea ſcilicet, ut eum, ſumma infamia, in perſona conjugis, ab Hiſpano Capitaneo Chriſtiani nominis indigno, violatæ, afficerent. Potuiſſet quidem, & tempus, & opportunitatem vindictæ ſumendæ, militem conſcribendo expectare: ſed abſcondere ſe; & Regno, & ſtatu, in provincia De los Ciquayos (in qua potens quidam ejus vaſallus, & ſubditus habitabat) exul & vivere & mori elegit. At Hiſpani de eius abſentia certiores facti, latebris amplius locum non dedere, ſed illato bello, illi, qui eos tam humaniter ſuſceperat, devaſtata omni regione eum repererunt, & cœperunt; qui vinculis, cathenisque alligatus, navi, ut in Caſtellam captivus duceretur, impoſitus eſt: in itinere autem navis periit, cum qua multi Hiſpani ſubmerſi, & magnum auri pondus; & inter hæc magnum auri granum, craſſo pani ſimile, habens in pondere 3600. coranatos: ita Deo de enormibus illorum ſceleribus, vindictam ſumente.

Aliud Regnum Marien appellabatur, in quo eſt hodie portus in ultima planitiei extremitate, qua Septentrionem reſpicit: eſtque Regno Portugaliæ & amplius, & fertilius; dignum certè, quod frequenti habitatore incolatur; montibus enim abundat, aurique & orichalchi fodinis dives eſt. Regi nomen erat Guacanagari, cui multi potentes Domini, quorum aliquos novi, parebant. Ad hanc regionem primus, ſenex Thalaſſiarchus appulit, cum Americam detexit, qui tam humaniter, & benignè à dicto Guacanagari receptus eſt, & tractatus cum omnibus

Hiſpanis, quos navigationis ſuæ comites aſſumpſerat, illis omnem opem, & auxilium ferendo [ibi enim Thalaſſiarchi navis undis abſorpta fuerat) ut ex ipſius ore audiverim, ſe ab ipſis parentibus, in propria patria, blandiùs accipi non poſſe. Hic Rex cœdes, & crudelitates Hiſpanorum fugiens, ſtatu ſuo privatus, in montibus obiit. Reliqui verò dynaſtæ, eius ſubditi, in ea ſervitute, & ſervitio, quod poſtea recenſebitur, ex hac vita emigrarunt.

Tertium Regnum erat Maquana; regio etiam admiranda, ſana, & fertilis, ubi hodie melius ſaccarum totius Inſulæ conficitur. In ea regione tunc temporis regnabat Caonabo, qui reliquos, potentia, ſtatu, gravitate, & ceremoniis, quæ in eius ſervitio adhibebantur, ſuperabat. Hic Rex, cum nihil minus ſuſpicaretur, magna ſubtilitate, & induſtria ab Hiſpanis in ædibus propriis captus eſt. Eum poſtea navi impoſuerunt, ut Caſtiliam duceretur, ſed cùm in portu ſex eſſent naves vela ventis dare paratæ, pontus tantis procellis agitari cœpit, ut hæ omnes, cum iis, quos capiebant, Hiſpanis, abſorptæ cum ipſo Rege Canabao cathenis onerato, fuerint: in quo Deus æquo ſuo judicio oſtendit, non minus eſſe in hoc facto iniquitatis, & injuſtitiæ, quàm in præcedentibus. Huic Regi tres, aut quatuor fratres erant, viri ſtrenui, qui iniqua fratris, & Domini captivitate offenſi, auditis devaſtationibus, & cœdibus ab Hiſpanis, in aliis regionibus patratis, intellectaque paulo poſt fratris morte; ut ab hoſtibus vindictam ſumerent, arma ſuſcepere, quibus occurrentes Iberi certo equitum numero (qui vel maximè Indianis offendiculo ſunt) tantam ſtragem ediderunt, ut media pars huius Regni, devaſtata, & depopulata fuerit.

Xaraqua



Xaraqua quartum Regnum eſt, quaſi centrum, & medium totius Inſulæ; in diſerto ſermone, & eloquenti idiomate par ex cæteris Regnis non habet; in politia verò, & bonis moribus, reliquis excellit. In eo maxima erat Dominorum, & nobilium copia, & ipſa plebs ſtatu, habituque corporis præſtabat. His Behechio Rex erat, qui ſororem Anacaona nomine; habebat. Uterque & frater & ſoror, Hiſpanos inſignibus beneficiis afficiens, & ex evidentibus mortis periculis liberans Regibus Caſtellæ magna ſervitia præſtiterat. Mortuo Behechio ſumma Regni penes Anacaonam remanſit. Quadam autem die accidit, ut Inſulæ gubernator ſexaginta equitibus, & trecentis peditibus comitatus

(equites autem soli sufficiebant, non solùm ad devastandam Insulam, sed etiam totum terræ continens) trecentos circiter dynastas, ad se vocaverit ; quorum potentiores fraudulenter, & dolosè in domum stramineam convocatos comburi, cæteros verò, cum infinito populo lanceis, & ensium mucronibus morte mulctari, jussit. Et ipsam Anacaonam, penes quam, ut dictum est, summa erat Imperii, ut majori eam honore dignaretur, laqueo vitam finire coëgit. Quod si accideret, ut aliqui vel misericordia, vel avaritia moti, pueros pro assectis retinentes, ne occiderentur, equis imponerent, alter succedebat, qui à tergo eos transfoderet, vel si in terram deciderent, cruribus privaret. Cum autem Indianorum aliqui, qui in humanæ huic stragi supererant, in Insulam, quæ inde octo milliaribus distat, se recepissent, quòd lanienam fugerent, ad perpetuam servitutem à gubernatore damnati sunt.

Quintum Regnum vocatur Hiquey, cui senio confecta Regina, Hiquanama nomine, quam Hispani in crucem sustulerunt, præsidebat. Eorum, quos hic vivos vidi concremari, membratim discerpi, variisque tormentis torqueri, & illorum, qui ex tantorum malorum reliquiis, vivi in captivitatem ducebantur, infinitus est numerus. Quia verò in horum populorum cœdibus, & devastationibus, tam varia dicenda forent, ut ea scriptis vix comprehendi possint (nec puto ex millesima eorum, quæ dicuntur, parte, unicam explicari) unicum de bellis supradictis, conclusionis loco, addam, & in conscienria affirmabo dictis omnibus iniquitatibus, & facinoribus, aliisque, quæ quamvis me non lateant, prætermissa facio, non majorem occasionem Indianos dedisse, aut dare potuisse, quam præberent probi religiosi in monasterio bene reformato viventes, sibi bona, aut vitam subripiendi ; & cur illi, qui mortem evaderent, perpetua captivitate, & servitute detinerentur. Hoc præterea addo, me credere, & certis conjecturis assequi eo tempore, quo hæc omnia in hac Insula patrata sunt, Indianos, ne unico quidem peccato mortali, in Hispanos commisso, teneri, quòd hominum mereatur ultionem. Et quod ad ea peccata, quorum punitio Deo reservata est, attinet, ut sunt vindictæ immoderata cupido, odia, simultates, quibus in capitales hostes, ut illis erant Hispani, ferri potuissent, existimo paucos de illis rebus, justè insimulari posse ; minorque erat illis impetus, & vigor (expertus loquor) quàm pueris decem, aut duodecim annorum. Et hoc certò scio Indianos semper justam causam in Hispanos bella movendi, habuisse ; & Hispanos econtrà bellis neutiquam justis cum illis certasse

certasse, sed iniquioribus, quàm ullus unquam tyrannus gesserit. Quod de reliquis eorum in America & gestis, & factis affirmo.

Peractis bellis, omnibusque habitatoribus mortuis ; juvenibus, fœminis, & pueris communiter reservatis, eos inter se dividebant ; alteri triginta, alteri quadraginta ; huic centum, isti ducenti dabantur, & quò quisque Tyranno majori, quem gubernatorem appellabant, gratior erat, eò plures obtinebat, tali colore, talique conditione, ut eos in Catholica fide instruerent ; cum ipsimet, quibus tradebantur instruendi, & animarum cura demandabatur, pro majori parte essent homines idiotæ, crudeles, avaritiæ dediti, & omnibus vitiis coinquinati. Talem verò eorum curam habebant, ut ad fodinas auri extrahendi, & fodiendi gratia, qui labor est intolerabilis, viros mitterent ; fœminis verò ad agros colendos, qui labor, etiam viris fortibus, & robustis, molestissimus est, utebantur. Illos autem herbis, & similibus rebus nullius substantiæ, alebant ; atque ita in mammis puerperarum lac siccabatur, & exiguo tempore, parvæ omnes creaturæ interibant. Et quòd à viris fœminæ separatæ, illis non cohabitarent, proles nulla suscitabatur. Viri in fodinis fame, & labore vita privabantur ; fœminæ verò iisdem fractæ malis & calamitatibus, in agris morte absumebantur Et ita consumptus est, & exterminatus habitantium huius Insulæ, penè infinitus numerus, iisdemq; modis totius orbis incolæ de facie terræ, tolli possent. Onera etiam octuaginta & centum librarum illis imponebantur, quæ per iter centum & ducentorũ milliarium, ferre cogebantur. Hispanos etiam in pensili vehiculo, aut lectis in modum retiorum, ab Indianis confectis, ferebant ; iis enim, ut bestiis, ad transportanda onera, & itineris impedimenta, utebantur ; unde accidebat, ut in humeris, & dorso, livor, belluarum fatiscentium more, appareret maximus. Et quod attinet ad flagellorum, baculorumve ictus, colaphos, maledictiones, & mille tormentorum, quibus in ipso labore, torquebantur, genera ; ad illorum narrationem nec multa temporis intervalla, nec ad scribendum immensi papyri cumuli, sufficerent, at potiùs animos terrore consternerent.

Hic animadvertendum est, harum Insularum, & provinciarum desolationem ab obitu Serenissimæ Reginæ Dominæ Isabellæ, quæ incidit in annum millesimum, quingentesimum quartum, exordium duxisse ; antea enim istius Insulæ, paucæ provinciæ bello injusto depravatæ, aut fœdatæ fuerant, nec generali, ut postea, devastione violatæ : atque hæc pro majori parte, & ferè omnia Reginæ (cui Deus æternam concedat

gloriam) celabantur , & prævelabantur ; ferventi enim , & mirando zelo , desiderioque penè divino in horum hominum salutem , & prosperitatem ferebatur ; cuius rei exempla , quæ & oculis vidimus , & manibus attigimus , in promptu habemus.

Sit etiam hæc generalis regula , nempe Hispanos , ad quamcunque Americæ oram pervenere , easdem crudelitates , strages , tyrannides & abominandas oppressiones, in Indiorum innocentissimam gentem exercuisse ; novorumque tormentorum generibus delectatos, in dies ad majorem creviſse sævitiam , & crudelitatem : quibus commotus Omnipotens , multo majori & periculosiori lapsu , in censum reprobum eos labi permisit.

De Insulis Sancti Joannis , & Jamaycæ.

ANNO millesimo quingentesimo nono , Sancti Joannis , & Jamaycæ Insulas (quæ hortis , & apum alveis erant persimiles Hispani trajecerunt , eodem sibi proposito fine & scopo, quem in Insula Hispaniola propositum habuerant , infinita latrocinia, & supradicta facinora committentes , quibus inauditas crudelitates, cœdendo, urendo, torrendo & canibus homines exponendo, adjunxere & addidere: deinde verò eos miris oppressionibus ,& tormentis in fodinis vexando, & affligendo , terram his innocentibus (quorum sexcenta millia , si non plura , hæ duæ Insulæ capiebant) privarunt , & spoliarunt , ita ut hodie in unaquaque vix ducentos homines reperire liceat , reliqui sine fide & Sacramentis perierunt.

De Cuba Insula.

ANNO millesimo quingentesimo undecimo Insulam Cuba trajecerunt quæ non minore longitudine, quàm à Roma Valladolida distat, concluditur ; in qua erant amplissimæ provinciæ , & multo populo incolebatur , in qua non majori humanitate , & clementia , imò multo majori sævitia , & crudelitae processerunt. Multa notatu digna in hac Insula acciderunt. Cum Cacycus quidam , potens Dynastes , cui nomen Hathuey , qui paulò ante fugiendæ mortis , perpetuæque captivitatis, & servitutis gratia , ab Hispaniola Insula Cubam se receperat , à quibusdam Indianis Hispanos ad hanc quoque adventare intellexisset , suis omnibus convo-

„ convocatis hâc oratione usus est : Vos non latet rumor de Hispanorum „ adventu passim inter nos sparsus , & experientia consecuti estis , qua „ tractatione , tales , & tales (eos nominabat) & Hayti (sic sua lin„ gua Hispaniolam vocant) incollas exceperint, ad nos eadem patrandi „ animo se conferunt : sed huius visitationis causa , & ratio vobisne est „ comperta ? ignotam penitus , responderunt , eos tamen & crudeli, & „ scelerata dotatos esse natura , se non ignorare : Hanc ergo habete, „ inquit : Quoddam adorant , & colunt avarum , nec paucis contentum numen , atque ut illius adorationi , & cultui satisfacere possint, „ à nobis multa petunt , omnemq; adhibent laborem , ut nos sub jugum „ mittant , & neci dare queant. Accepta igitur, quam juxta se habebat, „ capsula, auro mundisque referta, his verbis usus est : iste est Hispano„ rum Deus, in eius honorem (si placet) Arcytos (sunt quædam a„ pud ipsos chorearum , saltuumque genera) celebremus ; sicque illius „ numine placato , Hispanis imperabit , ne ulla nos molestia , aut injuria afficiant , qui unanimi consensu , clara voce responderum , *Probè* „ *dictum* , *probè dictum* : Sicque coram hac capsula saltantes choræis , an„ tequam nimia lassitudine fatiscerent , finem non imposuerunt : Tunc „ sermonem resumens dynastes Hathuey , dixit ; Si hunc Deum „ asservamus, quousque nobis tollatur , vita privabimur , quare consul„ tum mihi videtur , ut in flumen eum abijciamus , quo consilio appro„ bato ab omnibus , capsula in vicinum fluvium abjecta est,

Quamprimum ad hanc Insulam appulerunt Hispani , hic Cacicus , ut quæ eos intus , & in cute , ut dicitur, norat, quantum poterat, evitabat , & fugiebat , seque armis , si quandoque obviam illi fierent, defendebat. Tandem captus , quòd gentem tam iniquam , & crudelem fugeret , vitamque contra eos , qui suam suorumque mortem , quærebant , tueretur , vivus exustus est.

Et cum



Et cum palo affixus esset, quidam monachus Ordinis S. Francisci, vir sanctus, ipsi aliqua de Deo, & nostræ fidei articulis verba fecit, quæ nunquam audiverat, & quæ ad id tempus, quod à carnifice concedebatur, sufficiebant, illi æternam gloriam, & quietem, si crederet, sin minus æterna supplicia, promittens: Postquam Hathuey cogitabundus aliquandiu hæsisset, à monacho petiit. Utrum etiam Hispanis cœlorum janua pateret? Cui respondenti bonis Hispanis patere: Cacycus, sine longiori deliberatione cœlum se nolle petere, dixit, sed potius inferos, ne eadem illi, cum hac crudeli gente, mansio communis esset.

Et his

Et his laudibus, honoribusve Deus, & sancta fides, ab Hispanis in America afficiuntur. Sic cum Hispani initio à barbaris non reciperentur, dicebant, se Filios Dei es[...] et bono eorum ad quos missi essent, [...]nire. Verum cum cr[...]delitate sua barbar[...] se detestabiles feci[...]sent, nonnemo Indor[...] ad alterum convers[...] Oportet, ait, Deum so[...] longè pessimum esse, [...] tales haberet filios [...] atq; non dignum [...] à nobis pro Deo re[...]piatur. Scil. ita no[...] men Dei sanctificat[...] est inter Gentes. Ro[...]

Aliquando accidit, ut amplissimæ urbis, quæ decem milliaribus ab eo loco, in quo eramus, distabat, cives nobis obviam honoris gratia procederent, cum amplo commeatu, cibisque delicatis, & huiuscemodi blanditiis, nobis quàm maximam poterant piscium copiam adferentes, & distribuentes: ecce illico malo dæmone Hispanorum spiritus agitante, in tantum furorem versi sunt, ut me præsente, nulla intercedente causa aut ratione, ultra tria millia hominum tam virorum, quàm fœminarum, & puerorum, internecione sustulerint. Tam crudelia, inhumanaque facinora ibi me præsente & vidente, patrata sunt, ut nulla hominum ætas similia viderit.

Paulò post ad omnes Havanæ provinciæ Dynastas misi nuntios, ne ullo modo terrerentur, aut in absentia, vel fuga refugium quærerent, sed nobis occurrerent, me illis promittere [qua enim essent in authoritate, sciebant) nulla injuria affectos iri: præteritis enim malis, & cœdibus omnis regio maximè conturbata erat, & hoc feci ipsorum Capitaneorum consilio. Cum ad provinciam ventum est, viginti duo Dynastæ nobis obviam processerunt, quos, data fide violata, Capitaneus die sequenti, igni tradere voluit, expedire dicens hos, qui aliquando contra nos aliquo stratagemate usuri essent, è medio tolli: & sic ægrè, & difficulter igne eos eripui.

Indi huius Insulæ, sub servitutem, & calamitatem Hispaniolæ redacti, perire se & mori, sine ullo remedio cernentes, montes quærere cœperunt, alii verò desperatione ducti, laqueo vitam terminarunt; conjunxq; unà cum conjuge & liberis se suspendens, his miseriis finem imponebat. Tyranni unius Hispani (qui mihi non est incognitus) crudelitate, ultra ducenti Indi, voluntario suspendio vitam cum morte commutarunt: & sic hoc genere mortis infinitus hominum numerus periit.

Cuidam in hac Insula in aliqua dignitate Regia constituto, pro sua parte obtigerant trecenti Indiani, quorum, præ nimio labore trium mensium spatio, centum sexaginta sublati sunt, ita ut decima tantùm pars, id est, triginta, superfuerit, cum autem duplicaretur numerus, eos eodem modo necabat, & de omnium eorum vita actum erat, qui illi dabantur, quousque tandem naturæ, & diabolo debitum persolvit.

Spatio

Spatio trium aut quatuor menſium me præſente, obierunt ultra ſex millia puerorum, quòd parentibus, qui in fodinis laborabant, privarentur. Multaque alia ſtupenda vidi.

Poſtea verò conſilium ceperunt, eos qui in montibus latitabant, perſequendi, quorum ſtupendas ſtrages edidere, ſicque hæc Inſula deſolata eſt: quam paulò poſt vidimus, & certè res eſt miſeranda, hanc ita expopulatam, & deſolatam cernere.

De Terræ continenti.

ANNO milleſimo, quingenteſimo, decimo quarto, terram firmam trajecit, infelix quidam gubernator, crudeliſſimus tyrannus omni miſericordia, & prudentia deſtitutus, inſtrumentum furoris Dei, eo conſilio, ut multos Hiſpanos in has terras perduceret. Et quamvis ante hunc, aliqui tyranni eò perveniſſent, ibique multos variis internecionibus crudeliter tractaſſent, tamen ſolummodo maris oram, in qua mira furta, & latrocinia commiſerant, attigere. Sed reliquis, qui in aliis Inſulis verſabantur, quantumvis execrandis, & abominandis, hic crudelitate præſtabat. Non ſolum populo littus maris ſpoliabat, ſed etiam maximas regiones, & ampliſſima Regna, ſuis cædibus infinitum populi numerum ad Inferos mittens, funditus delebat. Per multa milliaria, ſuis excurſionibus, graſſabatur, in iis ſc. terris, quæ Darieno, provinciisque Nicaraquanis includuntur, quæ ſunt circiter quingenta milliaria terræ totius mundi fertiliſſimæ, in qua multi vivebant, abundabatque pagorum, urbium, & villarum numero, aurique omnium huc uſque repertarum regionum erat ditiſſima. Quamvis enim Hiſpania obrizato Hiſpaniolæ auro reſarcita eſſet, tamen fuerat tantùm ab Indiis ex dictis terræ viſceribus, & fodinis effoſſum, in quibus, ut dictum eſt, vitæ finem impoſuerunt.

Hic præſes, cum ſuis, nova tormentorum, & crudelitatum genera, ad obtinendum, & extorquendum aurum adinvenerat. Quidam ex illius Capitaneis, in quadam excurſione gubernatoris juſſu ad depræ-dandum facta, ultra quadraginta millia perſonarum enſibus, igni, canibus, diverſisque tormentorum generibus, expoſitarum, morte delevit. Quorum omnium, Ordinis Franciſcanorum religioſus, nomine Franciſcus de S. Romano, qui aderat, teſtis erit oculatus.

Maxima,

Maxima, & damnoſa ſemper fuit eorum, qui Indiis præfuerunt [quod ad converſionem, & ſalvationem huius populi, attinet) cœcitas: effectu enim negligebant, quod fucato ſermone præ ſe ferebant; & ore affirmabant, quod latente cordis lingua negabant: ecque perventum eſt, ut Indianis mandaretur, ſub pœna cruenti, & ſanguinolenti belli, mortis, & perpetuæ ſervitutis, ut fidem amplecterentur, & obedientiæ Caſtellæ Regis ſe ſubmitterent; quaſi Dei filius, qui pro omnium redemptione mortem ſubiit, lege caviſſet, cum dixit: *Euntes docete omnes Gentes*, ut infidelibus, pacificè, & quietè, & in hæreditaria & patria regione viventibus, mandaretur ſub pœna confiſcationis omnium bonorum; terrarum, libertatis, conjugum, liberorum, & mortis, ut nulla præcedente inſtructione, Deum confiterentur, & agnoſcerent, & obedientia præſtarent Regi, quem neque viderant, nec de illo quicquam audiverant; & cuius nuncii, omni humanitate deſtituti tam crudeliter ſe gerebant. Quod certè ſtultum eſt, & abſurdum, omnique vituperio, & irriſione, imò ipſis inferis, dignum. Cum autem nefando huic, & iniquo gubernatori cura demandata fuiſſet, executioni hæc edicta tradendi, ut juſtiora, & æquiora apparerent, erant enim per ſe juri, & æquitati repugnantia: juſſit (vel quibus demandata erat executio propria authoritate id agebant) ut cum deſiderio tenerentur, vel propoſitum haberent, aliquem locum, in quo eſſet auri copia; Indianis in urbibus, aut domibus, ſine ulla mali ſuſpitione degentibus, compilare, & eripere; improbi Hiſpani, ut latrones, ad aliquem locum, medio milliari ab urbe, pago, aut villa diſtantem furtim accederent; & ſoli, noctuque edictum publicarent, & pronunciarent hoc modo: Cacici, & Indiani huius continentis, talis loci, quem nominabant, habitatores: Vobis omnibus notum facimus, unum eſſe “ Deum, unum Papam, & unum Regem Caſtellæ, qui harum terrarum “ eſt Dominus: ſtatim accedite, & authoramentum lege clientelæ inite. “ Et ſic quarta noctis vigilia, his miſeris innocentibus ſomno oppreſſis, in eum locum quem nominarant, igne in domos, quæ omnes erant ſtramineæ immiſſo, irruebant, ſicque viros, fœminas & pueros, antequam animadverterent, comburebant: illico, quos volebant, occidebant: quos verò captivos detinebant, tormentis, ubi, quod domi non invenerant aurum, abſcondiſſent, fateri cogebant, qui verò vitæ ſupererant, ſervi, ſtigmate priùs notati, fiebant: extincto demum igne, ad aurum inveniendum, accurrebant. Ita igitur in hoc negocio ſe vir diris omnibus de-

bus devotus, gessit, cum malis Christianis, quos ab Anno decimo quarto, usque ad vigesimum primum, vel secundum, conscripsit, numeratis famulis, & satellitibus, à quibus tot recepit partes, ea dempta, quam recipere solebat, ex omni auro, unionibus, & mundis, ab iis acceptis, quos in servitutem redigebant, quot acciperet Dux generalis. Idem omnes, qui in aliquo Regio officio erant constituti, præstabant; mittens eorum unusquisq; quot poterat, famulos, ut prædæ partem consequerentur. Qui etiam primus in hoc Regnum venit Episcopus, famulos suos mittebat, ut prædæ particeps esset. Eo tempore plus quàm decies centena millia coronatorum auri (ut conjectura assequor) in hoc Regno depræda-ti sunt Hispani.



HORUM

Horum autem omnium latrociniorum ad Regem vix tria millia coronatorum Castellensium missa reperiuntur; cum tamen ultra octies centena millia hominum, cæsa sint. Reliqui tyranni, qui postea huic Regno usque ad annum trigesimum tertium præfuerunt, omnibus, qui restabant, usuram vitæ, eripuerunt.

Inter omnia facinora, quæ ab hoc gubernatore, dum adhuc hoc Regnum regeret, facta, vel eius consensu patrata sunt, hoc non est omittendum. Cacicus quidam, illi dans dono, vel libera voluntate, vel (quod est magis credibile) timore ductus, novem millium coronatorum pondus, ab Hispanis tanta pecuniæ summa non contentis, captus, palo affixus est, extensis pedibus, quibus admoto igne, majorem pecuniæ summam postulabant; qui tormentis victus, domum mittens, tria adhuc millia adferri curavit. Hispani novis furoribus, nova addentes tormenta, cum cernerent eum nihil amplius dare, vel quia careret, vel certè, quòd ei voluntas plura dandi, deesset, in illo tormento tandiu eum detinuerunt, quousque medulla per plantas pedum prorumperet, unde mortuus est. His sæpè tormentis Dominos, & Satrapas, ad aurum obtinendum torquentes, vita privarunt.

Aliquoties etiam accidit, ut Iberorum centuria excursiones faciens, inciderit in montem, in quo multi homines gentem tam horrendam, & pernicioſam, fugientes, latitabant, quæ in illos statim irruens, cæsis omnibus, quos poterat, sexaginta, aut octuaginta tam fœminas conjugatas, quàm virgines, captivas cepit: sed cum permagnus Indorum numerus recuperandarum conjugum, & filiarum desiderio Hispanos armis persequeretur, cum propiùs accessit; Iberi prædæ, cedere nolentes, mucrones, conjugum, filiarumque costis adegerunt. Indi præ tristitia, & dolore pectora tundentes, in talia verba irruperunt: O perversos homines! ô crudeles Hispanos! ergòne las iras ociditis? las iras sua lingua fœminas appellant, quasi dixissent: Necare fœminas acta sunt hominum crudelium, & bestiis pejorum.

A Panama distabat decem, vel quindecim milliaribus domus potentis dynastæ, cui nomen erat Paris, qui auri ditissimus erat: ad hunc accesserunt Hispani, à quo non secus, ac fratres recepti sunt, & tractati, proprioque motu quindecim millia coronatorum dono dedit Capitaneo, cui videbatur, reliquisque Iberis, illi, qui tantam auri summam gratis dabat, maximos esse thesauros, solus illorum scopus, so-

lamenque laborum ; discessum igitur fingunt, & simulant, sed circa quartam noctis vigiliam reversi, urbem, quæ sibi satis tuta videbatur, ex improviso ingredientes, eam flammis cum multis civibus, consecravere, & quinquaginta, vel sexaginta millia coronatorum deprædati sunt. Dynastes vivus evasit, congregataque quanta potuit, virorum copia, et lapsis tribus, aut quatuor diebus, Hispanos, qui centum, & triginta, vel quadraginta millia coronatorum illi surripuerant, assecutus, in eos irruens, omnem auri summam, deletis quinquaginta Hispanis, recuperavit ; reliqui autem multis vulneribus acceptis, fugæ sibi consuluerunt. Pauco demum interjecto tempore Hispani in dictum Cacicum, armata manu revertuntur, eumque cum omnibus copiis delent. Qui pugnæ superfuerunt, in ordinatiam servitutem vindicati sunt.

De Provincia Nicaragua.

ANNO millesimo, quingentesimo, vigesimo secundo dictus tyrannus ulteriùs ad subjugandam Nicaraquam provinciam inauspicato processit. Nullus satis dignè, & sufficienter fertilitatem, aëris temperiem, aut hominum, qui in ea vivebant, frequentiam, exprimat. Admirandus prorsus populi infinitus numerus, hæc enim regio, urbes capiebat, quæ in longitutidem quatuor milliariorum protrahebantur, fructuumque copia (quæ causa erat tam frequentis populi) maximè commendabilis. Hic populus, quia in æquam planitiem eius regio panditur, idcircoque montium latebræ deessent, cum etiam esset tàm amœna, ut non sine maxima molestia, & difficultate illam relinqueret ; multò majoribus cruciabatur angoribus, & persecutionibus, Hispanorum Tyrannidem, & servitutem æquiori, quo poterat, animo ferre coactus : adde quòd natura mitis erat, & pacificus. Hic tyrannus cum suæ crudelitatis affeclis, tantis, hanc gentem (quo etiam consilio ad destruenda reliqua Regna usus erat) damnis, tantis cœdibus, & iniquitatibus, tantisque servitutibus, & crudelitatibus affecit, ut omnia, lingua, quamvis ferrea, complecti non possit. In hanc provinciam (quæ latius patet comitatu Ruscinensi] quinquaginta equites misit, qui omnem ejus populum gladio deleverunt, ita ut omnis sexus, & ætatis personas pro minima causa, vita privarent, veluti, si vocati non accelerarent, vel si Mahidis imposita onera (Mahis frumentum eorum lingua sonat) non adferrent, vel si ad sua, sociorumque servitia, requisitum Indiorum numerum non adducerent ; cùm enim regio in planitie sit constituta nullus horum equorum diabolicum furorem evitari poterat.

Hispanos excurrere, hoc est, alias provincias deprædari jubebat, hisque latronibus, & furciferis, ut quantum vellent numerum pacifici huius populi, abducerent, permittebat, & concedebat, quibus, cathenis impositis, ne oneribus sexaginta, vel octuaginta librarum cederent, sæpe accidebat, ut ex Indiorum quatuor millibus, sex homines domum reverterentur, sicque in itinere fato concedebant, quòd si aliqui nimio oneris pondere, defatigati in via deficerent, aut præ nimia fame, & siti in morbum, aut nimiam debilitatem inciderent, ne in cathena aperienda tempus tereretur, eos obtruncabant, & sic caput in hanc partem, corpus verò in aliam cadebat. Indiani cum ad talia itinera Hispanos se accingere videbant, scientes nullum inde reverti, in discessu non sine fletu, & suspiriis in tales sermones irrumpebant : Illa „ sunt itinera, quæ sæpe ad servitia Christianis præstanda, mensi sumus, „ & tamen aliquo temporis peracto spatio, ad ædes, conjuges, libe„ rosque revertebamur : sed jam omni spe regressus sublata, illorum „ visu, & conversatione in perpetuum privamur.

Hoc etiam accidit, ut dictus Præses Indianos de novo, ad placitum dispertiri voluerit, ut (sic enim fertur) sibi infestis, Indianos eriperet, aliisque distribueret : unde accidit, ut anno integro, satio nulla facta sit : Et cum panis deficeret, accidebat, ut Hispani Indis, omne frumentum, quod ad familiæ victum comparaverant, eriperent, si que ultra triginta millia hominum perirent. Et accidit, ut fœmina intollerabili fame pressa, filium ad vitam sustentandam, truncaret.

Et quoniam omnes hæ urbes, & alia loca, quæ incolebantur, hortis omnino erant persimilia, ut dictum est, eas Hispani ut sorte adepti erant, incolebant ; ibique cibis ab his miseris magno labore & sudore congregatis viventes, rebus suis consulebant. Et ita unusquisque proprias habebat hæreditates, quibus se aleret & Indiani in Hispanorum ædibus habitabant, omniumque, nobilium, senum, fœminarum, puerorumque diu noctuque sine quiete, servitio utebantur, nec infantum labori parcebant, quin illis onera, ad quæ apti erant, & sanè majora imponebant : Iisque modis, nec ædes proprii quidquam concedentes, eos consumpserunt, & quod restat, quotidie consumunt. In quo crudelitates, in Hispaniola Insula patratas, superarunt.

Multò

Multis etiam in hac provincia mortem accelerarunt, eorum humeris asseres, & axes, ad portum triginta milliaribus distantem, ad naves fabricandas, ferendos imponentes, illosque ad conquirendum mel, & ceram, ad montes, ubi à tygribus devorabantur, mittentes. Gravidas etiam mulieres victuris bestiarum onerabant.

Sed nulla major pestis hanc provinciam expopulavit, quam licentia captivos à Cacicis, & dynastis huius regionis petendi, ab hoc gubernatore Hispanis concessa. Singulis quatuor, aut quinque mensibus, vel quotiescunque petendi veniam à gubernatore, obtinerent, quinquaginta servos dabant, eisque Hispani minabantur, si non parerent, eos vivos comburendos, aut canibus exponendos. Cum autem Indiani paucos habeant servos, multum enim est, si Cacico sunt tres, vel quatuor, ad subditos accedebant, orphanisque primò captis, à parente. cui erant duo liberi, unum; & ab eo, cui tres erant, duos efflagitabant, & ita numero, à tyranno efflagitato, dynastes satisfaciebat, non sine lacrymis, & gemitu populi, cui (ut videtur) magna est cura liberorum. Quia autem hoc sæpè fiebat ab Anno vigesimotertio, ad annum usque trigentesimumtertium, huic Regno omnes incolæ sublati sunt: spatio enim sex vel septem annorum quinque semper, vel sex naves simul appellebantur quæ Indianis onerabantur, ut in Pananiæ & Perusii regionibus venderentur, ubi omnes extremum diem obierunt; res est enim quotidiana experientia comprobata, Indianos, cum ex patria naturali transferuntur, brevi post tempore diem extremum claudere, cum etiam non semper illis suppeditetur sufficiens victus, nec labor illis impositus ullo modo minuatur, cum ad laborem tantùm emantur. Et hoc modo ex huius provinciæ habitatoribus, qui antea erant liberi, ultra quinquies centena millia, ad servitutem educta sunt; bellis vero illis illatis, & horribili ad quam redigebantur, servitute, alia quinquaginta, vel sexaginta millia perierunt, & adhuc hodie infiniti pereunt. Hæ omnes strages spatio quatuordecim annorum inclusivè, patratæ sunt. Restant fortè in hac Provincia Nicaraquana quatuor, vel quinque millia hominum, qui ordinariis, & personalibus oppressionibus, morti dantur, cum tamen, ut dictum est, multitudine populi, reliquis orbis regionibus præstiterit

De Hispa-

De Hispania nova.

ANNO millesimo, quingentesimo, decimo septimo, Hispania nova detecta est; in cuius detectione nihil primum erat, nihil secundum, sed omnia cædibus scatebant: anno sequenti Hispani (qui se Christianos nuncupant) eò ad prædandum, & occidendum profecti sunt, quamvis ad populandam regionem, se hoc iter suscipere dicant. Ab hoc anno, usque ad annum, Millesimum, quingentesimum quadragesimum secundum, injustitia, violentia, & tyrannides Hispanorum ad ultimum extremitatis gradum pervenere, omnem enim Dei, & Regis timorem, sui ipsius obliti, sepositerunt: strages enim, crudelitates, cædes, devastationes, urbium destructiones, deprædationes, violentiæ, & tyrannides, quas in tam diversis, & amplis Reguis commiserunt, tantæ sunt, tantoque horrore animos detinent, ut eæ omnes, quas superius recensuimus, nihil sint, earum respectu, quæ ab anno millesimo, quingentesimo decimo octavo, usque ad annum millesimum quadragesimum secundum patratæ sunt, omnium gravissimæ, & abominandæ, ut regula, quæ superius loco thesis posita est, omnino vera sit, nempè eos ab initio à malo in peius ruisse, eosque à semetipsis in diabolicis suis factis, & facinoribus superatos.

Et ita à primo Iberorum ingressu in Hispaniam novam, qui incidit in decimam octavam diem mensis Aprilis dicti anni decimi octavi, usque ad annum trigesimum, quibus decem integri anni concluduntur, stragibus, & cædibus à sanguinolentis, & crudelibus Hispanorum manibus editis in 450. milliarium continenti circum Mexico, & vicinis locis, quibus quatuor vel quinque ampla Regna, quæ nec magnitudine, nec fertilitate Hispaniæ cederent, contineri possent, nullus impositus est finis. Hæc omnis regio Toleto, Hispali, Valadolidæ, Cæsari Augustæ, & Faventiæ populosior erat, neque enim hoc tempore in iis tantus est populus, neque etiam cum maximè florerent, tantus fuit, quantus extabat in ea regione, quæ ambit ultra mille octingenta milliaria. Illis duodecim annis in dicto continenti 480. milliarium Hispani, computatis viris, fœminis, juvenibus, & pueris ultra quatuor milliones hominum, in suis conquisitionibus (sic enim vocant) sed potius ipsius Turcæ, quæ ad destruendam Ecclesiam Catho-

licam

licam referuntur, invasionibus; bellis iniquioribus, nec solùm lege divina, sed & humana damnatis: ensibus, lanceis, igne deleverunt. Neque verò, qui in servitute, & oppressione ordinaria obierunt, hoc in numero computantur.

Non est lingua, scientia, vel notitia humana, quæ recitare valeat, horum sceleratorum facinorum, quæ hi Reipbl. imò totius generis humani capitales hostes, ubique in diversis regionibus, diverso tempore patrarunt: neque verò ulla diligentia, tempore, aut scripto aliquorum factorum circumstantiæ, quibus graviores redduntur, explicari queant. Tamen de unaquaque parte aliquid singuluriter dicam, ea protestatione, & juramento, me non existimare ex millesima, unam partem complecti.

De nova Hispania peculiariter.

INter alias strages, hanc etiam in amplissima urbe Cholula, quæ ultra triginta millia familiarum capiebat, edidere; Omnes regionis, vicinorumque locorum dynastæ, sacerdotes primò cum suo magno Pontifice, pompa Hispanis obviam euntes; eos, ut maiori reverentia reciperent, ampliorique honore dignarentur, in medio pompæ constituerant, ut potentiorum, principaliorumque Satraparum civitatis ædibus excepti, in urbe hospicio reciperentur: Hispani illicò consilium ceperunt, de strage, vel castigatione (sic vocant) edenda, ut suarum crudelitatum sceleratis factis omnes huius regionis angulos terrore consternerent, in omnibus enim regionibus, quas ingressi sunt, hoc de more habuerunt, ut statim primo appulsu insignem aliquam stragem ederent qua hi agnimites, præ illorum timore, tremerent. Miserunt, ergo ad gubernatores, & nobiles civitatis, omniumque locorum, illi, subditorum & & supremo Domino, ut accederent, cumque ad colloquium Hispanorum ducis appulissent.

Statim



statim detenti, & capti sunt, antequam ullus huius captivitatis nuntius, animadvertere posset. Ab illis petita sunt sex millia Indianorum ad ferenda impedimenta, & onera Hispanorum, qui cum advenissent, in areis ædium collocati sunt, & concluſi. Res erat miseratione digna, hunc miserum populum, cùm se ad ferenda Hispanorum onera præpararet, cernere. Nudi accedebant, solis verendis tectis, humeris cassè,

& cibo oneratis ; demittebant se omnes in terram , & dorso incurvato, non secus ac miseri agni , subsidentes , se ensium ictibus exponebant: Sic ergo in area congregatis , pars Hispanorum armatorum januas tenet, ut accedentes arceat , alii mucronibus & lanceis , mites hos agnos jugulant , ita ut ne unus mortem evaserit : elapsis autem duobus, aut tribus diebus , aliqui , qui inter mortuorum cádavera latitarant , cruenti , sanguinéque conspersi , cum lacrymis & fletibus se Hispanis offerebant . omni submissione eorum misericordiam & mortis prolongationem implorantes : sed nulla aut misericordia , aut compassione moti , omnes in frusta discerpebant, Omnes autem dynastæ , quorum ultra centum erant, vincti tenebantur , quos Capitaneus palis in terram defixis , vivos concremari jussit. Sed Rex totius regionis evasit , seque comitatus triginta , vel quadradinta hominibus , in templum , quod erat instar propugnaculi , Quu eorum lingua vocabatur , conjecit , ibique magna diei parte se defendit. Sed Hispani , è quorum manibus , præcipuè verò militum nullus evadit, templo igne appositio, omnes, qui in eo erant,combusserunt,qui morientes in tales voces, & clamores irrumpebant: O perditos homines, qua vos injuria affecimus , ut nos cæderetis ? Ite, ite, Mexiconem petite, ubi supremus noster Dominus Montenxuma, de vobis vindictam sumet. Illud narratur, cùm huic tragœdiæ Hispani occupati essent quinque vel sex millia hominum de medio tollentes , eorum Capitaneum summa lætitia perfusum in hunc cantum prorupisse.

Mira Nero di Tarpeya à Romo como se ardia
Gritos don ninos y vieyos , yel de nada se doliæ.

Hoc est,

Monte ex Tarpeio Romana incendia spectans
Ipse Nero planctus vidit , nec corde movetur.

Lanienam etiam maximam in urbe Tepeaca ediderunt , quæ amplior , & ædium numero præstantior erat prædicta. Hic infinitum



nitum numerum , cum multis crudelitatum circumstantiis , ensium mucronibus vitæ usura privarunt.

Cholula solventes, Mexicum se contulerunt , cuius Rex Motencuma innumera dona , cum satrapis , & nobilibus in itinere variis lusuum generibus gratum illorum adventum testantibus obviam misit. Cum verò ad aggerem perveniissent , processit eis obviam eius frater multis nobilibus comitatus , qui multa dona in auro, & argento , pictai vestis

& auri ferebant, & in ipsius urbis introitu ipse Rex, cum omni sua aula, petorito aureo portatus, eos usque ad palatium illis præparatum, comitatus est. Ea ipsa die, ut mihi à quibusdam, qui adfuerunt, relatum est, certa dissimulatione magnum Regem Motencumam, nihil minus timentem, ceperunt, & eius custodiæ octuaginta milites præfecerunt: postea verò pedibus cathena vinctus est: sed iis omnibus præteritis, & silentio involutis de quibus multa dicenda forent, unicum notatu dignum ab illis tyrannis perpetratum narrabo. Cum se Capitaneus ad portum contulisset, debellandi cujusdam Capitanei Hispani, qui eum bello persequebatur, gratia, & alium cum centum, vel paulò plus mulitibus, ad custodiam Regis Motencumæ reliquisset, istis in mentem venit aliquid memoriæ dignum patrare, quo magis crescceret, & augeretur in his provinciis formido illorum crudelitatis, quo consilio, ut dixi sæpissimè, usi sunt.

Interea



Interea omnis nobilitas, & plebs civitatis nihil aliud in votis habebat, quàm diversis ludorum, & recreationum generibus Regis sui captiui animos exhilarare, illiusq; capituitatem solari: inter alia verò, hoc unum erat, nempe saltationes, & choreæ, quas noctu in omnibus compitis, & plateis civitatis celebrabant, eas sua lingua Mirotes, ut Insulani Arcytos appellant. Ad has choreas omnes suas divitias, vestes, & pretiosa quæque conferunt, huic rei omnino dediti: neque enim habent majora signa, & testimonia lætitiæ. Nobiliores etiam, & sanguinis

Regii

Regii Principes], unuſquiſque ſecundum gradum, dictas choreas in vicino loco earum ædium, in quibus Rex & Dominus captivus detinebatur, celebrabant. Non procul à palatio aberant, duo circiter millia juvenum nobilium, qui omnes, potentiorum totius Regni, liberi erant, & verè flos nobilitatis totius Regni Motencumæ. Ad hos ſe contulit Hiſpanorum Capitaneus, cum aliquo militum numero, & alios ad reliquas urbis partes, in quibus hæ choreæ celebrabantur, miſit, quaſi eos tantùm conſpiciendi, & videndi gratia. Jusſerat Capitaneus, ut indicta hora in hos ſaltatores irruerent, & ipſe Indianos ſaltationibus occupatos aggrediens dixit: Sant Tiago in ipſos irruamus, quo dicto, omnes evaginatis gladiis, hæc nuda, & delicata corpora aperire, ſanguinemque generoſum, & nobilem profundere cœperunt, & ita ne unicus vitæ ſuperfuit. Reliquiſque idem in aliis locis facientibus maximus ſtupor, & ſimul dolor, has provincias occupavit. Et hos faſtos, quandiu erit mundus in rerum natura, non ceſſabunt celebrare & lamentari, & decantare in ſuis Areytis. tanquam rhythmis, calamitatem, & ruinam ſeminarii antiquæ nobilitatis totius Regni, de qua tantopere gloriabantur.

Indiani inauditam hanc in tantum innocentium numerum crudelitatem, & iniquitatem cernentes, cum etiam maxima patientia injuſtam Regis ſui captivitatem tuliſſent, à quo in mandatis acceperant, ne in Hiſpanos arma caperent, omnis urbs ad arma cucurrit, & in Hiſpanos ruit, quorum multis læſis vix reliqui evaſere: pugione tandem Regis pectori admoto, illi mortem minitabantur, niſi per feneſtras prohiberet ſuis, ut ab opere deſiſterent. Sed Indii, pro tempore, mandata Regis contemnentes, Ducem elegerunt, quem omnibus copiis præfecere. Et quia, qui ad portum profectus erat Capitaneus victor revertebatur, multoque majorem Hiſpanorum numerum adducebat, quàm deduxiſſet, ab armis per ſpatium trium, vel quatuor dierum receſſum eſt, quouſque urbem ingreſſus eſſet, Tunc Indii, collectis, & congregatis maximis copiis, tandiu, & tam ſtrenuè pugnaverunt, quouſque Hiſpani de ſalute deſperantes, conſilium ceperunt, intempeſtiva nocte receptui canere, & urbem relinquere. Quod cum innotuiſſet Indiis, infinitos in pontibus paludum æquo & ſancto bello, propter ſupradictas cauſas, ut juſtas ab omni æquo judice approbandas, armis deleverunt. Poſtea verò Hiſpanis recollectis & conglomeratis, certamen urbis ſecutum eſt, in quo ſtupendas, & horribiles Indiorum lanienas edidere, infinitumque populum, multis parentibus dynaſtis igne ſublatis, trucidavere.

Perpe-

Perpetratis illis abominandis cædibus in urbe Mexicone, & aliis decem, quindecim, & viginti milliaribus abhac urbe, hæc tyrannis & peſtis ad infectandam & deſolandam provinciam Panuco proceſſit. Admirabilis erat in ea regione populi frequentia, nec minori admiratione dignæ ſtrages, quæ ibi peractæ ſunt. Eodem etiam modo devaſtarunt provincias Tutepecam, Ipilcingonium, & Columam, quarum unaquæque non minoris eſt amplitudinis, quam ſunt Regna Legionæ, & Caſtellæ. Res eſſet perquam difficilis, imò omnino impoſſibilis, ſtrages, & crudelitates ibi commiſſas recitare, & nauſeam, faſtidiùmque parerent legentibus.

Notandum eſt, eos non alio titulo has regiones ingreſſos eſſe, Indianorumque terras, quæ propter populi abundantiam omnibus verè Chriſtianis lætitiam parere debuiſſent, devaſtaſſe, niſi, ut eos in ſervitutem redigerent; primo enim introitu, ut regi Hiſpaniæ obedientiam, & fidei juramentum præſtarent, cogebant, quòd ſi non acquieſcerent, illis mortem, ſervitudemque minabantur. Qui verò illicò non accedebant, ut mandatis tam iniquis ſatisfacerent, hominumque tam injuſtorum, & crudelium voluntati ſe ſubmitterent, rebelles pronunciabantur; de illoque crimine Regi Domino noſtro inſimulati ſunt, eorum, qui Indiis præerant, cœcitate non permittente, ut intelligerent, & comprehenderent apertiſſimum illud juris axioma: Nullum rebellem appellari poſſe, qui ſubditus non ſit. Jam conſiderent, & perpendant Chriſtiani, qui aliquam rerum habent cognitionem: Utrum populi, propriis Dominis ſubditi, in hæreditaria, & libera regione viventis, corda præparari, & informari poſſint his nuntiis: Subjicite vos obedientiæ extranei Regis, quem nec unquam vidiſtis, & de quo nulla vobis unquam mentio facta eſt, alioquin in fruſta vos diſcerpemus; neque ut docet experientia, dicto, quam facto, erant promptiores. Et quod ſtupendum magis eſt, eos ipſos, qui obedientiam præſtant, in ſervitutem duriſſimam redigunt, quorum, propter incredibilem laborum, & tormentorum vim, quam illorum, qui gladio tolluntur, ſors eſt multò deterior; tandem enim cum fœminis, liberis, & omni generatione pereunt. Quod ſi accidat, ut minis, & crudelitatibus territi, Regis extranei dominationi ſe ſubjiciant, nonne cœci iſti ambitionis, & avaritiæ crudeles miniſtri, ſe, nec divino, nec humano jure niti, vident? cum tales ſint metus, qui etiam in conſtantiſſimos cadant, nec ullius ſint authoritatis (ea pœna dempta, quæ in inferorum baratris cruciabuntur) ut ullam rem va-

lidam reddant. Prætereo offensas, & damna in ipsum Regem, cum ejus Regna devastant, omnemque Indiarum jus (quantum possunt) imminuunt, imò invalidum, & nullum reddunt. Et hæc sunt servitia, quæ Hispani in illis regionibus nostris Regibus, injusto illo, & benè fucato titulo præstant.

Hic tyrannus eodem nixus titulo, alios duos Capitaneos, qui eum & impietate & crudelitate superabant, ad florentissima, & fructuum, hominumque fertilissima Regna Guatimalæ, quæ ad austrum sita sunt, misit: qui etiam ad Regna Naco, Honduras, & Guaymura, quæ ad Septentrionem vergunt, & itinere trecentorum milliarium Mexiconæ confines sunt, proficisci in mandatis acceperant. Alter terra, alter verò mari missus est, uterque tam peditatu, quàm equitatu benè instructus.

Hoc verè dico, malorum, quæ ab his duobus, præcipuè verò ab eo, qui in Regnum Guatimalæ profectus erat (alter enim mala morte sublatus, paulò post periit) patrata sunt, posse particularem librum confici, & tantis cædibus, injuriis, lanienis, & brutalibus desolationibus, repleri, ut seculis tam præsentibus, quàm futuris terrorem incuteret. Hic certè tam abominationum, quàm devastationum, quæ omnino infinitæ sunt, numero, & quantitate, cæteros superat.

Qui mari profectus est magnis incursionibus, & crudelitatibus littus maris afflixit, cui quidam ex Regno Yucatan, quod in via Regnorum Naco, & Naymura, ad quæ iter suum direxerat, situm est, donis onerati occurrerunt; ad quos ubi pervenit, Capitaneos misit, cum militibus, qui terram popularentur, & magnas devastationes, & strages ederent, præcipuè quidam seditiosus, & rebellis cum trecentis militibus regionem Guatimalæ vicinam intravit, ibique urbibus incensis, omnibusque habitatoribus cæsis, eorum bona diripuit, quod consulto in centum, & viginti milliarium continenti fecit, ut si eos socii persequerentur, regionem devastatam invenirent, & sic ab Indiis in vindictam damnorum acceptorum necarentur; quod accidit, nam ibi præcipuus Dux cujus Imperiis dictus Capitaneus erat rebellis, occisus est. Cui multi alii crudelissimi tyranni successerunt, qui stupendis suis crudelitatibus Indios servitute afficientes, & eos postea, iis, qui vinum, vestimenta, & similia ad vitam necessaria adferebant, vendentes cum ordinaria illa servitute ab Anno millesimo, quingentesimo, vigesimoquarto, ad Annum millesimum, quingentesimum, trigesimumquintum

Provin-

Provincias Naco, & Hunduras, quæ videbantur deliciarum Paradisus, & cæteris orbis regionibus, populi frequentia præstabant, desertas, & expopulatas reddidere: & nuper eas ita destructas vidimus, ut nullus sit, quantumvis durus & immanis, qui misericordia, si illas cerneret, non moveretur. His undecim annis ultra duo milliones hominum in illa regione ceciderunt, jamque vix restant duo millia, qui singulis diebus ordinaria servitute perimuntur.

Sed ad magnum illum tyrannum, qui præteritos crudelitate, ut dictum est, vicit, & præsentibus æqualis est, Guatimalam profectum, revertamur: is à Provinciis Mexiconiæ vicinis, quæ secundum iter, quod sequutus est (ut ipsemet literis ad principem Tyrannorum missis, scribit, & testatur) à Guatimala, itinere quadringentorum milliarium, distant; stragibus, combustionibus, incendiis, & depopulationibus semper incubuit, dicto titulo omnes cogens, ut se hominibus tam inhumanis, crudelibus, & iniquis submitterent, Regis Hispaniæ quem nec visu, nec auditu norant, & quem etiam iniquiorem, & crudeliorem ipsis ministris existimabant, nomine. Et sic nullo deliberandi spatio concesso, omnia igne, & sanguine delebant.

De Regno, & Provincia Guatimala

PRimò in hoc Regnum appulsu magnam stragem edidit. Hoc tamen non obstante præcipuus Dominus, in petorito cum tubis, tympanis, & exultatione, multis urbis Ultlatanæ, totius Regni emporio, nobilibus comitatus, illi processit obviam, illique cibi omni affluentia, cum iis, quæ maximè desiderabat, oblati sunt. Ea nocte Hispani extra urbem pernoctarunt: neque enim sibi satis tuti in urbe tam benè munita videbantur. Die sequenti ad se dictum Dominum, cum multis nobilibus accersiri jussit, quibus certa auri summa imperata est: illi cùm se satisfacere non posse responderent, neque enim hæc regio aurum dabat, illius jussu, sine alia criminis nota, & absque ulla procedendi forma, igne vivi combusti sunt. Cæteri harum provinciarum nobiles, cum cernerent Dominos suos, penes quos summa Imperii erat, hac sola de causa, quòd aurum non dedissent, esse combustos, in montibus fuga sibi consuluerunt, subditis imperantes, ut Hispanis, tanquam Dominis obedirent, sed illis expresè defendentes, & prohibentes, ne de fuga, & latebrarum locis eos certiores facerent. Et ecce infinitus ad Hispanos

acceſſit numerus hominum efflagitantium, ut ſe in ſubditorum numerum referrent, ſe illis inſervire velle; Capitaneus reſpondit ſe illos recipere nolle, & omnes internecione deleturos iri, niſi locum indicarent, ad quem Domini confugerant. Indiani reſponderunt, ſibi hoc penitus eſſe ignotum, & incognitum, ſe autem contentos, ut ſuo, fœminarum, liberorumque ſervitio uterentur; illos quidem eſſe domi, & accedere licere, eoſque vel nece, vel quo modo vellent excipere: quod ſæpè & repetito obtulerunt. Res eſt mira: Hiſpani pagos & villas petiere, & miſeros hos labori cum fœminis, & liberis ſecurè, ut putabant, incumbentes, lanceis deleverunt. Acceſſerunt ad amplum quendam pagum, qui innocentiæ confidens, præ reliquis ſe tutiſſimum exiſtimabat, ſed ad tantam deſolationem ſpatio duarum horarum redactus eſt, ut gladiis omnis ſexus, & ætatis hominibus ſublatis, nulli (exceptis iis, qui ſibi fuga conſulere potuerunt) tantæ cædi ſuperfuerint.

Cernentes Indii, neque humilitate, neque donis, aut patientia, tam inhumana, & ferocia corda placari, ſeque ſine ulla ratione ita mactari, conſilium ceperunt colligendi ſe, & ad arma concurrendi: tutius quippe eſſe ducebant, cùm mors illis malum eſſet neceſſarium, armata manu, vindictam de hoſtibus ſumendo cædi, quàm ſine vindicta, ab illis necari. Cùm autem armorum inopiam, nuditatem, & debilitatem ſuam cernerent, neque ſe ullum equorum uſum habere, ut hoſti tam furioſo prævalerent, illis in mentem venit, ſcrobes in ipſis itineribus ſubigere, in quas perttranſeuntes equi inciderent; & ita palis aduſtis, & acutis ibi conſulto ſtatutis, & ſic gleba tectis, ut videri non poſſent, transfigerentur. Bis quidem, vel ter in illas ſcrobes equi incidere, ſed poſtea Hiſpani optimè præcaverunt. Idcirco hanc legem condiderunt, ut quotquot cujuſcunque ætatis, vel ſexus Indiani caperentur, in has eaſdem foveas, quas fecerant, injicerentur. In eas etiam gravidas fœminas conjecerunt, & quotquot occurrebant ſenes, quouſque omnino repletæ fuerunt. Res erat magna commiſeratione digna, fœminas cum pueris his palis transfixas cernere: reliqui verò gladiis, & lanceis ſublati ſunt: aliquos etiam famelicis canibus exponebant. Potentem ſatrapam in igne maximo combuſſerunt; inquientes: illum hoc genere mortis maximo honore affici. Duraruntque hæ crudeles laniſicinæ ſpatio ſeptem annorum ab Anno vigeſimo quarto uſque ad annum trigeſimumprimum. Quot eo tempore morte affici potuerint, lector judicet.

Inter



Inter infinita ſcelera ab hoc tyranno, & ſuis, neque enim ipſo duce humaniores exiſtebant, in hoc Regno patrata, hoc etiam notatu eſt dignum. In provincia Cuzcatan in qua urbs Sancti Salvatoris ſita eſt, quæ quidem regio, cum vicino maris tractu, qui in quadraginta, vel quinquaginta milliarium longitudinè extenditur, & in ipſa urbe Cuzcatan, quæ erat totius provinciæ metropolis, magno applauſu receptus eſt, eum enim viginti, vel triginta millia Indianorum gallinis, aliiſque ad victum neceſſariis, oneratorum, expectabant. Ille receptis donis, juſſit, ut unuſquiſque Hiſpanorum, hujus populi, quantum vellet numerum

eligeret, ut eo tempore, quo ibi manerent, eorum ſervitiis uterentur, & ferre quidquid juberent, cogerentur. Quiſque centum, vel quinquaginta, ut exiſtimabat ad ſervitium ſuum ſufficere, eligebat. Miſeri iſti agni omnibus junibus, omnique conatu Hiſpanis inſerviebant, ita ut ſola adoratio deſideraretur. Interea hic Capitaneus multum auri à Dominis efflagitavit, ad id enim ſolum venerat, qui reſponderunt ſe eſſe contentos illis omne aurum quod habebant, tradere. Indiani igitur magnum haſtarum ex orichalcho inaurato, numerum, quæ aureæ eſſe videbantur, & certè aliquid auri illis inerat, congregarunt. Capitaneus eas Lydio lapide probari juſſit, cumque orichalcum eſſe cerneret, Hiſpanos his verbis allocutus eſt; omnibus diris devota ſit talis regio, in qua nullum eſt aurum; quiſque retineat, quos ſibi pro ſervis elegit, cathenis concludantur, & ſervitutis ſtigmate notentur: quod & factum eſt, ſtigma enim Regium, iis, qui non evaſerunt, inuſtum eſt. Ego etiam præcipuo totius civitatis viri filio vidi imprimi. Indiani, qui evaſerant, cum reliquis regionis incolis hæc omnia cernentes, congregarunt ſe, ut bello Hiſpanos tentarent, ſed tam malo omine, ut infinitus eorum numerus proſtratus ſit. Poſtea Guatimalam reverſi ſunt, ubi urbem condiderunt, quam Deus juſto ſuo judicio tribus, quorum primum aquæ alterum terræ tertium lapidum, magnitudinis decem, vel viginti boum, diluviis ſimul concurrentibus, delevit. Cæſis itaque omnibus, qui bello eos in feſtare poterant; cæteri ad dictam ſervitutem redacti ſunt, tributa maſculorum, & filiarum ſolventes, neque enim alia utuntur ſervitute. Et ſic iis, in Peruſium, ut venderentur, miſſis, relinquiſque cædibus, hoc Regnum, quod tam in longitudine, quàm in latitudine centum milliaria habet, nec ulli alteri, aut populo, aut fœlicitate cedit, deſtruxerunt, & deſertum reddiderunt. Et ipſemet tyrannus ſcripſit majorem eſſe in hac provincia populi frequentiam, quàm in Regno Mexico, quod & verum eſt. Cum ſuis ſociis, & confratibus ultra quatuor vel quinque milliones hominum quindecim, aut ſexdecim annorum ſpatio ab anno vigeſimoquarto, ad quadrageſimum uſque mortui dedit, & quotidie eos, qui reſtant ſuis crudelitatibus deſtruit.

Huic



Huic tyranno de more erat, cum alicui urbi, vel provinciæ bellum moveret, Indianorum jam ſubjugatorum, quantum poterat, numerum, ducere, ut ſociis bellum inferrent, cumque decem, vel viginti millibus hominum, quos ſecum ducebat, non daret unde vitam ſuſtentarent, illis permittebat, ut aliorum Indianorum in bello captorum, carnibus veſcerèntur. Et ita in ſuo exercitu humanæ carnis lanienam habebat, & in ejus præſentia pueri occidebantur, & torrebantur. Homines occidebant pedum tantum, & manuum gratia, hæc enim membra in cupediis habebant. Quibus à vicinis intellectis omnes ſtupore, & terrore conſternati ſunt.

Trans-

Transferendarum navium labore multos interimebat, eos, enim à mari Septentrionali ad Mediterraneum, quæ centum & triginta milliaribus distant, ancoris maximi ponderis oneratas, transportari curabat. Ita etiam multa, & maxima tormenta belli transferebantur, quæ horum hominum nudorum imponebantur humeris, & sic multis, maximis & ponderosis oneribus oppressi, in itinere [oculatus testis loquor) deficiebant. Familias separabat, & dividebat conjugibus conjuges eripiens, & parentibus filias, quas nautis & militibus dabat, ut illis satisfaceret. Omnes naves Indiis replebat, ubi fame, & siti enecabantur. Si profecto omnium illius crudelitatum particularia, recensere vellem, integrum librum conficerem, qui animos hominum in stuporem traheret. Ille potentes duas classes habebat, quibus tanquam fulmen cœli, hos miseros consumebat. O quam multos liberos, parentibus, quàm multos conjugibus, conjuges, & liberis parentes orbavit, quàm multorum adulteriorum, libidinum, & raptuum causa extitit, quàm multis libertatem eripuit, quantis angoribus, & calamitatibus innumeros oppressit, quantas excitavit lachrymas, suspiria, gemitus, quàm multis, in hac mundi peregrinatione, desolationum, & damnationis in futuro seculo, author extitit, non solùm Indianis, quorum infinitus est numerus sed etiam Hispanis, quorum ope in committendis his horrendis, & abominandis crudelitatibus & facinoribus usus est. Deum supplex oro, ut ejus misereatur, & contentus esse velit, mala illa, qua periit, morte,

De nova Hispania, item Panuco, & Xalisco.

HOrrendis dictis crudelitatibus, & cædibus, & iis, quas omisi, in provinciis novæ Hispaniæ, & Panuconiæ, peractis, Panuconem venit crudelis & rabidus alter tyrannus, qui multas crudelitates committens, & multas naves his barbaris oneratas Cubam, & Hispaniolam, ut ibi venderentur, mittens, hanc provinciam penitus desertam reddidit. Et accidit, ut pro jumento dati sint octingenti Indiani, anima rationis participe dotati. Præses autem urbis Mexiconiæ, & totius novæ Hispaniæ factus est. & cum illo multi alii tyranni Auditoris officio donati sunt: in quibus officiis exercendis se tam multis peccatis, crudelitatibus, facinoribus, & abominationibus coinquinarunt, ut credi vix possit. Et ita hanc regionem desolatione afficerant, quòd si religiosi Ordinis Sancti Fran-

Francisci illis strenuè se non opposuissent, & citò, de consilio Regio, optimo, omnisque virtutis amantissimo, provisum regioni non fuisset; duorum annorum spatio, quod Hispaniolæ acciderat, penitus expopulata, & deserta Hispania nova, jam in ruinis jaceret. Quidam istius Præsidis socius, ut muro hortum suum concluderet, octo millium Indiorum servitio utebatur, cumque illis nec victum, nec salarium daret, omnes interibant, neque unquam illorum morte ulla misericordia, aut commiseratione motus est.

Postquam primus ille Capitaneus de quo dictum est, finem destructioni Panuconis imposuisset, illique relatum esset Senatum Regium adventare, ulterius, ut aliquam regionem, in qua tyrannidem exercere posset, inveniret, processit, & vi ultra quindecim, aut viginti millia hominum sequi coëgit, ad ferenda Hispanorum, & comitum onera, & impedimenta, quorum vix ducenti, reliquis in itinere peremptis, reversi sunt. Tandem ad provinciam Machuacam devenit, quæ itinere quadraginta milliarium Mexicone distat, nec illi fertilitate, aut populi numero cedit, Regi, illi honoris gratia obviam procedenti, cum multo populo, à quo mille servitiis, & beneficiis affectus fuerat, captivitatem indixit, eum enim esse auri, & argenti ditissimum, fama dictitabat. Et ut aurum ab eo extorqueret, & emungeret, eum tormentis torquebat: numella enim pedibus apposita, extenso corpore manibus palo alligatis, pruna pedibus adhibita est, aderatque puer, qui oleo eos paulatim irrigabat, ut cutis melius torreretur: una ex parte stabat vir impius, qui arcum cordi collimabat: aderat verò alter alia ex parte cum canibus, se eos dimissurum simulans, quod si fecisset, minimo profecto temporis momenro dilaniandus erat, & hujuscemodi tormentis eum vexabat, ut ejus confessione thesauri in lucem proditent; quousque quidam Ordinis Sancti Francisci Monachus advenit, qui eum tormentis, non tamen morte, quæ illa subsecuta est, eripuit, multos Cacicos, & dynastas hujus provinciæ, eodem mortis genere, vitæ usura privavit, ut ab eis argentum, & aurum consequeretur.



Hac ipſa tempeſtate quidam, crumenarum, potius, quàm animarum viſitator, advenit, qui cum quædam idola, ab Indiis abſcondita, reperiſſet, & offendiſſet, neque enim improborum Hiſpanorum documentis, Dei melioris cognito illis innotuerat, tandiu captivos potentiores detinuit, quouſque ſua idola tradidiſſent, exiſtimabat enim ea eſſe aurea, vel argentea, qua ſpe lapſus, eos non minus crudeliter, quàm injuſtè caſtigavit. Sed ne omnino expectatione fruſtratus abiret, eos coëgit, ut idola ſua pecuniis redimerent, ut ſcilicet, more ſolito illis, adorarent, hi ſunt fructus Hiſpanorum in Indiis, & ita Dei honorem & cultum procurant.

Hic



Hic tyrannus ex provincia Mechuacam, Xaliſcum ſe contulit, quæ regio populi, & fructuum ferax erat, Indiorumque haud minima gloria gentis, quippe quæ pagos haberet, in longitudinem ſeptem milliarium patentes. Illi has regiones ingredienti, Indiani, ut ſolent, multa lætitia, & donis occurrerunt: ille verò in eas crudelitates, quarum erat optimus magiſter, irrumpit, quibus uti reliqui ſolent, ut eum ſcopum, quem ſibi propoſuerunt attingant, id eſt, ut aurum, quem unicum Deum confitentur, cumulent. Urbes incendiis ſolo æquabant. Principes, multis priùs illatis tormentis, captivos detinebant. Quos capie-

bant, quorum infinitus erat numerus, cathenis vinctos in ſervitutem abducebant. Puerperæ, malorum Chriſtianorum impedimentis, oneratæ, cum labore & fame preſſæ, pueros ſuos ferre non poſſent, eos in viam abjicere cogebantur, qua morte infinitus infantium numerus periit.

Cùm malus quidam Chriſtianus, pudicitiam virginis violare tentaret, præſens mater ſe oppoſuit, cumque hanc illi eripere vellet, Hiſpanus pugione evaginato manum illi præſcidit, & virgini inordinato ejus appetitui ſtrenuè repugnanti, & reſiſtenti, pugionis ictibus, vitam eripuit.

Inter cætera, hoc etiam iniquum eſt & injuſtum, quòd ſtigmate 4500. homines, quibus Hiſpani liberiores non erant: inter quos etiam infanti duorum, quatuor, & qinque annorum, notari curavit: qui tamen omnes illi honoris gratia obviam proceſſerant; Innumera alia ſilentio involvo.

Patratis igitur his ſupradictis omnibus facinoribus, in ordinariam, & tyrannicam ſervitutem redacti ſunt, cujus rei cauſa eò ſe profectos Hiſpani exiſtimant. In quibus regionibus dictus gubernator omnibus Iberis, præcipuè ſuis œconomis liberum infinitorum tormentorum exercitium ad extorquendum ab Indianis, aurum, & tributa, concedebat. Ejus œconomus ipſo pacis tempore multos occidit Indianos, alios vivos comburens, vel canibus exponens; alios pedibus, manibus, lingua, vel capite truncans, ut timidiores effecti, nec ſervitia, nec aurum denegarent, hæcque omnia ipſo tyranno vidente, & conſentiente fiebant, neque hoc ſolùm, ſed etiam virgis, & baculorum ictibus, colaphis, & aliis crudelitatum generibus illos exercebat, & indies opprimebat.

Incendio in hoc Regno Xaliſco octingentos pagos, ut fertur, delevere, qua de cauſa Indii deſperati, cernentes reliquiarum tantæ crudelitatis quotidianum exitium, in Hiſpanos inſurrexerunt, quorum aliquos merito, & jure enecantes, ad montes confugerunt. Cùm verò procedente tempore advenientium tyrannorum, qui has terras præteribant ad devaſtandas (quod ipſi vocabuli proprietate abutentes detegere vocant) alias regiones, & provincias; injuriæ, & damna creſcerent, & multiplicarentur, multi Indiani congregati, dum in rupibus, propugnaculis ad propugnandum, & pellendum hoſtem, erectis, ſe tueri volunt, ab Hiſpanis in ipſismet rupibus cæduntur, & in illis adhuc hodie miræ lanificinæ eduntur; &

tantæ

tantæ, ut ex infinito hujus populi numero, vix reliquiæ ullæ cernantur. Et ita Hiſpani excœcati, à Deo derelicti, & in ſenſum reprobum dati, non cernentes Indiorum cauſam cum jure naturali, tum etiam divino, & humano; illos viribus, & armis pellendi, in fruſta diſcerpendi, & finibus ejiciendi, eſſe juſtiſſimam, nec videntes, quàm iniquæ ſint eæ violentiæ, & tyrannides, quibus hos miſeros afflixerunt, nova in illos bella moliuntur. Illi exiſtimant, dictiſque & ſcriptis teſtantur, eas victorias, quas contra hos innocentes, eos deſtruendo obtinuerunt, ſibi à Deo eſſe conceſſas, quaſi verò iniqua illorum bella jure fiant, & ſic jactabundè læti grates Deo, de ſua tyrannide reddunt, imitatione tyrannorum, & latronum, de quibus Propheta Zacharias cap. 11. Paſce pecora occiſionis, quæ, qui occidebant, non dolebant, " ſed dicebant: Benedictus Deus, quia divites facti ſumus. "

De Regno Yucatan.

ANno milleſimo, quingenteſimo vigeſimo ſexto, vir perditus Regno Yucatan ſuis mendaciis, & falsò Regi relatis præfectus eſt, quo modo reliqui tyranni uſque in præſentem diem ad officia obtinenda, & munia publica obeunda, uſi ſunt, eorum enim prætextu, & authoritate facilius furtis, & latrociniis vacabant Hoc regnum populo abundabat, cum propter aëris temperiem, tum ob victuum, & fructuum, quibus Mexicone fertilior eſt, abundantiam; præcipuè verò melle, & cera, reliquis Indiæ regionibus, quæ in hunc uſque diem viſæ ſunt, præſtabat. In ambitu trecenta habet milliaria. Hujus provinciæ omnium Indorum, vel quod ad politiam, & prudentiam, vel quod ad regulam vitæ, & morum attinet, præſtantiſſimi erant, verè digni, qui ad Dei cognitionem adducerentur: potuiſſent, ibi amplæ & multæ urbes erigi, & conſtrui ab Hiſpanis ubi tanquam in horto delitiarum vivere potuiſſent, niſi ſua avaritia, ſtupiditate, & enormium peccatorum gravitate tanti boni indignos ſe præſtitiſſent. Hic tyrannus trecentis hominibus in hos innocentes domi viventes, & nulli injuriam inferentes bella movere cœpit, quibus infinitum populum ad ultimum exitium adduxit. Et quia hæc regio aurum non habet, ſi enim habuiſſet, brevi incolarum vitæ in fodinis finis impoſitus fuiſſet, ut ex eorum corporibus, & animabus, pro quibus Chriſtus mortem ſubiit, aurum com-

pararet : in genere eos , quibus vitam non ademit, ſervos effecit, naveſque, quas fama , & rumor eò adduxerat, his oneratas, dimiſit, facta eorum permutatione cum vino, oleo, aceto, ſalſa carne procina, veſtimentis, equis, & reliquis, quæ ſingulis neceſſaria eſſe judicabat , & exiſtimabat. Electionem centum , vel quinquaginta virginum proponebat , eamque quæ cæteris præſtaret , cum minimo dolio vini , olei, aceti, vel porco ſalſo permutabat , eandemque proponebat , inducentis, vel trecentis pueris benè diſpoſitis. Et accidit , ut quidam puer , qui principis filius videbatur , pro caſeo , & centum perſonæ pro equo darentur. Ille his ſceleratis factis ſemper ab Anno vigeſimoſexto , ad annum trigeſimum tertium , incluſivè incubuit, quouſque nuntius allatus eſt de divitiis Peruſiæ regionis , quo Hiſpani profecti ad tempus huic tyrannidi finem impoſuerunt. Prætetitis tamen aliquibus aliquibus diebus , ad enormia facinora , latrocinia , incarcerationes , & majores contra Deum offenſas committendas reverſi ſunt , ita ut jam trecenta illa terræ milliaria , ut dixi, in quibustanta erat populi frequentia , inculta , & omnino ferè deſerta cernantur.

Particulares , ſævitiæ , & crudelitatis in illa regione patratæ, narrationes , nullus credat. Duas tantùm , aut tres , quæ in mentem veniunt , recenſebo. Cum Hiſpani furioſis ſuis canibus , Indiorum tam fœminarum , quàm virorum veſtigia indagarent , occurrit Indiana mulier ægrota, quæ cùm effugere ſe non poſſe, quin à canibus laniaretur, cerneret , accepta corda trabi ſe ſuſpendit, pede alligato unius anni, quem ferebat, puero ; neque hoc celerius perfecit, quin canes accederent, & puerum laniarent ; à religioſo tamen , antequam moreretur , baptiſatus eſt.

Cum Hiſpani ex hoc Regno diſcederent , eorum unus , nobilis cujuſdam Indiani urbis , vel Provinciæ Principis filium invitavit, ut ſecum proficiſceretur, cui, cùm reſponderet , patriam terram deſerere, aut relinqure nolle, ſe auribus eum truncaturum , ni ſequeretur, minitatus eſt. Perſiſtente verò puero ſe in patria terra manſurum , evaginato pugione utraque aure eum truncavit, cum nec hoc obſtante in prima opinione perſeveraret , ei naſum , cum ſuperiori labiorum parte , non ſecus ac ſi unguem argutum tantum inflixiſſet , ridens præſcidit.

Hic



Hic furcifer obſcœnè ſe jactabat pio cuidam religioſo , & tanquam maximis laudibus digum , in cœlum uſque ſe efferebat dicens: ſummoperè ſe laboraſſe, ut gravidas multas Indianas redderet, ut poſtea, cùm venderentur majorem pecuniæ vim conflaret.

In hoc regno , vel certè in alia Hiſpaniæ novæ provincia hoc accidit, ut Hiſpano venationi incumbente , canes fame , ut illi videbatur, premerentur ; ille igitur infantulo ex amplexu matris arrepto, bra-

chia,

chia, & crura abſcindens, eorum unicuique partem, qua devorata trunci poſtea corporis reliquias ſimul objecit. Hìc videre eſt quomodo in ſenſum reprobum à Deo traditi ſint, & quonam in pretio miſeras has creaturas ad imaginem Dei formatas, habeant : Sed jam pejora ſequentur.

Reliquas crudelitates & innumeras, & antea inauditas, quæ nec imaginatione quidem comprehendi poſſunt, prætermitto, hoc unum coronidis loco addo : ambitioſis illis, excœcatis, & execrandis tyrannis, hac regione, ad Peruſii divitias conquirendas, egreſſis, quatuor monachi Ordinis Sancti Franciſci cum patre Jacobo eò profecti ſunt, ut pacificam regionem redderent, & ſuis concionibus ad Chriſti cognitionem tantarum crudelitatum, quæ ſeptem annorum continuo ſpatio, ibi patratæ fuerant, reliquias adducerent. Exiſtimo hos eſſe, qui anno trigeſimoquarto Mexiconiam prætereuntes, ab Indianis crebris nuntiis ſollicitati ſunt, ut ſuam regionem ingrederentur, de uniuſque Dei, verè Dei, totiuſque mundi Domini, cognitione informarent : idcirco concilia, & congregationes indixerunt, ut ſcirent, quinam illi eſſent homines, qui ſe & fratres, & patres nuncupabant, quid vellent, in quo ab Hiſpanis, à quib. tantis moleſtiis, & tormentis vexati fuerant, differrent : ea tandem conditione eos receperunt, ut ſoli, non autem cũ Hiſpanis, intrarent, quod illis religioſis promiſerunt illis n. conceſſum erat, imò expreſsè in mandatis à novæ Hiſpaniæ Præſide acceperant, ut ita pollicerentur, nec quidquam detrimenti, aut injuriæ Hiſpanos illaturos. Cœperunt ergò Euangelium Chriſti, ut ſolent, prædicare ; ſanctamque Regum Caſtellanorum intentionem explicare, quorum omnium notitiam, toto illo ſeptem annorum ſpatio, ab Hiſpanis, nullum nec alium ſe habere Regem, quàm eum, qui tanta tyrannide illos opprimebat, acceperant. Quadraginta tantum diebus ibi manſerat religioſus, cùm ecce, omnia idola, ut flammis darentur, allata ſunt: poſtea proprios liberos, quos ut pupillam oculi charos habent, illis, ut inſtituerentur, adduxerunt. Illis etiam & templa, & domos ædificabant. Ab aliis etiam provinciis accerſiti ſunt, ut venirent, & Euangelium prædicarent, atq; ad Dei, & magni (ut vocabant) Caſtellæ Regis cognitionem adducerent. Et ita ab his religioſis perſuaſi, fecerunt, quod antea nunquam in Indiis factum fuerat (quidquid enim tyranni, qui hæc ampla Regna, & Provincias vaſtarunt, ementiebantur, id in

id in vituperium, & odium Indiorum fiebat) duodecim vel quindecim amplarum regionum, & ampli populi Principes congregati, ſeparati quiſque cum ſuis ſubditis, eorum conſenſu, & conſilio, Regum Caſtellæ dominationi proprio motu ſe ſubjecerunt, Imperatoremque, tanquam Regem Hiſpaniæ pro Domino receperunt. In cujus rei teſtimonium, necio quid, quod penes me eſt, atteſtationibus dictorum religioſorum, ſubſignarunt.

Ita non ſine magna fratrum religioſorum lætitia, & ſpe, aditu patefacto, ad iſtius Regni, qui ex tanto crudelitatum incendio ſupererant, incolas, ad Chriſti cognitionem perducendi : ecce per aliam viam ad illos ingreſſi ſunt, octodecim equites Hiſpani, & duodecim pedites, ſecum multa idolorum pondera, quæ in aliis regionibus ceperant, ferentes. Dictorum Hiſpanorum Dux, illius provinciæ, quam erant ingreſſi, quendam dynaſtam ad ſe vocavit, eique præcepit, ut hæc idola ſecum ſumeret, & per ſuam regionem, unoquoque idolo, Indiano, vel Indianæ permutato diſtribueret, alioquin ſe in illum bella morturum. Supradictus Dominus, metu coactus, ſupradicta idola per totam regionem diſtribuit, cum mandato, ut ea ſubditi adorarent, omnemque honorem illis præberent, & in compenſationem Indianns vel Indianas in ſervitutem mitterent. Indiani territi proprios liberos tradebant, is quidem, qui duos habebant, unum, qui verò tres, duos dabat. Et ita huic mercaturæ tàm ſacrilegæ finem impoſuerunt, ſicq; Cacicus Hiſpanis non dico Chriſtianis ſatisfecit. Sacrilegorum horum latronum unus, Joannes Garcia nomine, graviter ægrotans, & jam morti proximus, ſub lecto duo idolorum onera habebat, cùm autẽ adeſſet Indiana quæ illi inſerviebat, juſſit ne paruo pretio ea idola traderet, ea enim eſſe optima, nec minus, quàm pro unoquoq; idolo Indium caperet : & ita hoc condito teſtamento, & ultima voluntate his curis diſtractus, animam efflavit. Cui autem dubium eſt, eum jam in inferorum tenebris cruciari? Conſideretur jam, qualis ſit progreſſus religionis, qualia præbeant Chriſtianiſmi exempla Hiſpani, cum in Americam proficiſcuntur, quo honore Deum afficiant, & quomodo laborent, ut ab illis infidelibus colatur, & adoretur. Judicetur etiam, cujus peccati gravitas major ſit, an Jeroboam, qui peccare fecit Iſrael, & aureos duos vitulos confici curavit, ut à populo adorarentur, an verò Hiſpanorum, qui idolorum mercaturam exercent, Judæ, qui tanta ſcan-

dala excitavit, non abſimiles. Hæc ſunt Hiſpanorum facta, qui ſæpè, imò ſæpiſſimè, ſua avaritia, & ad aurum cumulandum, vendiderunt, negarunt Jeſum Chriſtum Redemptorem noſtrum.

Indiani religioſorum promiſſa de Hiſpanis regionem non intraturis, inania eſſe cernentes, imò ipſosmet Hiſpanos, aliunde idola, ut venderentur, adſportare, cùm tamen ſua, ut igne conſumerentur, religioſis tradidiſſent ut unicus eſſet veri Dei cultus, in ipſos religioſos irritati, ad eos acceſſerunt, dicentes: Quare mentiti eſtis, falſis veſtris pollicitationibus nobis promittentes, Hiſpanos hanc regionem non ingreſſuros? Et quare Deos noſtros combuſſiſtis, cùm alii ex aliis regionibus ab Hiſpanis adſportentur? præſtant ne noſtris aliarum provinciarum Dii? fratres religioſi, ut potuerunt, quamvis vix haberent, quod reſponderent, eorum animos ſedarunt: & ad hos triginta Hiſpanos ſe contulerunt, quibus malum ab ipſis partratum declarant, humilibus precibus efflagitantes, ut inde diſcederent. Quod Hiſpani omnino denegarunt, & quod improbum eſt, & flagitioſum, ab eiſdem religioſis ſe advocatos, Indianis perſuaſerunt. Quo cognito, Indiani de occidendis religioſis, conſilium ceperunt, qui à quibuſdam Indiis moniti, noctu ſe ſubtraxerunt, & aufugerunt: ſed poſt illorum diſceſſum, cognita veritate, & Hiſpanorum malitia, miſſi ſunt nuntii, qui illos quinquaginta milliarium itinere perſequerentur, Indianorum nomine rogantes, ut reverterentur, veniamque petentes.

Religioſi, ut boni Dei famuli, & animarum zelatores, illis fidem adhibentes reverſi ſunt, & non ſecus ac Angeli de cœlo demiſſi, recepti. Et cum Indianis, à quibus mille ſervitia obtinebant, per quatuor aut quinque menſes manſerunt. Cum verò Hiſpani hinc diſcedere nollent, quamvis Prorex omnem adhiberet operam, ut illos revocaret, proditores, & læſæ majeſtatis rei declarati ſunt & quia in ſua tyrannide, & nefandis factis perſeverabant, cernentes religioſi, illos, quantumvis ſera eſſet ultio, non tamen in ultos remanſuros, & timentes ne ultio in propria capita derivaret, cum etiam quietè, & ſecurè propter continuas incurſiones, & aſſultus Hiſpanorum concionari non poſſent, de hoc Regno relinquendo conſilium ceperunt, quod lumine, & doctrina deſtitutum remanſit, & hæ animæ præteritis miſeriæ & ignorantiæ tenebris adhuc hodie involuuntur, illis ſublato, horum maledictorum

rum Hiſpanorum culpa, omni remedio, & irrigatione cognitionis divinæ, non ſecus ac ſi aqua teneris adhuc plantis tolleretur, eo enim ipſo tempore, quo diſceſſerunt, maxima aviditate fidei noſtræ doctrinam amplectabantur.

De Provincia Sanctæ Marthæ.

PRrovincia Sanctæ Marthæ, cum vicinis auri fodinis, & agrorum fertilitate dives erat, populuſque ad fodiendum aurum induſtrius. Quare ab Anno milleſimo, quingenteſimo, vigeſimooctavo, uſque ad annum milleſimum, quingenteſimum, quadrageſimum ſecundum eò innumeri tyranni navigio profecti ſunt, ſuis incurſionibus omnem regionem vaſtantes, & deprædantes, & cædibus ejus incolas mirum in modum affligentes omnique auro ſpoliantes, qui ſemper ad naves ſuas, jam huc, jam illuc ſe conferentes, recurrebant, & refugium habebant. Et ſic has provincias ſuis cædibus & horrendis crudelitatibus maximè vaſtarunt, idque communiter in littore maris, & aliquot vicinis milliaribus fiebat, uſque ad annum milleſimum quingenteſimum vigeſimum tertium, quò ſigendarum ſedium gratia Hiſpani profecti ſunt. Quia verò regio fertilis eſt, & dives, vario tempore, varii duces, quorum alii, aliis crudeliores exiſtebant, ſucceſſerunt: ita ut unuſquiſque conari videretur prædeceſſorem ſuum diverſis enormium crudelitatum generibus ſuperare. Et hoc loco ſupradictum axioma confirmatur. Anno milleſimo, quingenteſimo, vigeſimonono eò tyrannus maximus multis militum catervis comitatus profectus eſt, eo animo, ut reliquos ſuos anteceſſores facinorum gravitate ſuperaret, & vinceret, qui huic regioni ſeptem annorum ſpatio multos theſauros abſtulit: quo, in exilio, ſine pœnitentia mortuo, in ejus locum alii tyranni ſucceſſerunt, qui ſanguinolentis ſuis manibus, & gladiorum impiis mucronibus, reliquos, quibus præcedentium gladii pepercerant, deleverunt. Tanta deſolatione multas provincias viſitatis crudelitatis modis, affecerunt, Principibuſque, & ſubditis, ut aurum detegerent, tanta tormenta, & tam graves pœnas intulerunt, in eo, diverſis enormium crudelitatum, ut dictum eſt, generibus, prædeceſſores vincentes, ut ab Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimonono uſque in hodiernum diem, ultra quadringenta terræ milliaria devaſtarint, & omni populo, cujus numero præcedentibus non cedebat, orbarint.

Si decreviſſem numero complecti omnes nequitias, cædes, deſolationes, iniquitates, violentias, ſtrages, & alia facinora ab Hiſpanis in hac provincia in Deum, Regem, & has innocentes nationes, commiſſa, & patrata, ampliſſimam hiſtoriam conficerem. Sed id, ſi mihi Deus vitam longiorem concedat, ſuo tempore fiet; in præſentia verò aliquam partem eorum, quæ Regi Domino noſtro, harum provinciarum Epiſcopus, reſcripſit, recenſere ſufficiet: Sunt autem litteræ datæ vigeſima Maji, Anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimiprimi, quibus „ inter alia hæc ſcribit: Dico ſacra Majeſtas, remedium huic regio„ ni ſubveniendi, eſſe, ut poteſtate vitricorum liberetur, & tradatur „ merito, qui illam, ea, ut par eſt tractatione, afficiat, & excipiat, & „ id quo maturius fieri poterit, quod ſi ſecus fiat, certus ſum, eam, at„ tenta gubernatorum tractatione, brevi perituram, &c. Sic verò pau„ lò poſt ſcribit: Ex quibus apertè cognoſcet veſtra Majeſtas, quo„ modo earum regionum præfecti gubernatione privari ſuo merito debe„ ant, ut provinciæ allevientur: quod ſi id non fiat, nunquam, meo „ judicio, convaleſcent. Hoc etiam ſuæ Majeſtati innoteſcet, in his „ regionibus nullos Chriſtianos, ſed Dæmones verſari, nullos Dei, & „ Regis ſervos reperiri, ſed legis & Regis proditores. Et certè nihil & „ magis ad pacem ineundam, & ad eorum, qui in pace vivunt, con„ verſionem, contrarium quàm inhumana, & crudelis tractatio, qua ii „ qui pacifi è vivunt, ab Hiſpanis afficiuntur, quam tantum illis faſti„ dium nauſeam parit, ut nomine Chriſtiano, illis nihil ſit magis odio„ ſum, aut deteſtabile. Chriſtianos enim ſua lingua Yares, id eſt dia„ bolos appellant. Nec profecto ſine ratione: eorum enim in his re„ regionibus, neque Chriſtianorum, neque hominum ratione prædito„ rum, ſed diabolorum geſta ſunt: quò fit, ut Indii cernentes, hæc tam „ capitum, quàm membrorum, facta, ab omni humanitate, & miſeri„ cordia eſſe aliena, Chriſtianorum talem eſſe legem, taliumque Deum, „ & Regem eſſe authores exiſtiment: velle autem laborare, ut con„ trarium illis perſuadeatur, vani ſunt, & fruſtranei labores, illiſque „ major anſa Jeſum Chriſtum, & ejus legem irridendi, daretur. Indii „ verò, qui ſe armis tuentur, & defendunt, ſatius eſſe ducunt ſemel „ mori, quàm ſub Hiſpanorum poteſtate multis mortibus affici. Hæc „ experientia didici, Cæſar invictiſſime, &c. Hoc præterea paulò poſt „ addit: Veſtra Majeſtas, plures habet in his regionibus ſervos, & famulos,

mulos, quàm exiſtimet; neque enim ullus eſt miles eorum omnium “ qui militant, qui apertè, & publicè non profiteatur, ſi prædetur, fu-“ retur, devaſtet, cædat, vel comburat, ſuæ Majeſtatis ſubditos ad au-“ rum obtinendum, non dicat, ſe in eo maxima præſtare ſervitia Veſtræ “ Majeſtati dicunt illi enim ſuam partem obtingere. Quare, Cæſar in-“ victiſſime, conſultum eſſet, ut Veſtra Majeſtas aliquorum rigida cor-“ rectione, & caſtigatione, ſe nulla recipere ſervitia, de ea re qua in o-“ bedientia, & dedecore Deus afficitur, teſtaretur. Quæ hactenus rela-“ ta, ex dicti Epiſcopi Sanctæ Marthæ litteris deprompta ſunt, quibus patet, quæ hodie contra innocentiſſimos hos homines, patrentur. Illi bellicoſos Indianos appellant, qui ad montes evitandæ Hiſpanicæ crudelitatis gratia confugiunt: & Indios regionis eos vocant, qui infinita hominum ſtrage, tyrannicæ, horribili ſervituti deduntur, qua tandem depopulati, deſolati, & mortui ſunt, ut ex ſupradictis Epiſcopi litteris, patet, qui tamen pauca eorum, quæ paſſi ſunt, recenſet. Indiani hujus regionis ſolent in hæc verba prorumpere, cum ducuntur per invia montium onerati, ſi fortè debilitate, & labore deficiant (tunc enim pedum, & baculorum ictibus cæduntur, illorum dentibus enſium capulæ confringuntur, ut ſurgant, & iter ſine ulla reſpiratione perſequantur, eum hac increpatione: O quàm malignus es,) in hæc verba, inquam prorumpunt: Omnino deficio occidite me, vitæ finem imponere deſidero, & hoc non ſine magnis ſuſpiriis, & vix trahentes ore loquelas (quæ ſunt animi in magnis angoribus & doloribus conſtituti indicia) proferunt. Sed quis centeſimam afflictionum, & calamitatum, quibus hi innocentes ab Hiſpanis vexantur, partem, verbis, aut ſermone complecti poſſit? Deus illarum notitiam ad eos pervenire faciat, qui remedia adhibere, & poſſunt, & tenentur.

De Provincia Carthagena.

HÆc provincia ab inſula S. Marthæ, Occidentem verſus, 50. milliaribus diſtat, & ſita eſt in regionis Cenuſiæ confiniis, unde circa littus maris, uſque ad ſinum Urabæ in centum milliaria porrigitur, qua verò parte Meridiem reſpicit in longam terræ longitudinem extenditur. Hæ provinciæ ab anno 1498. uſque ad annum præſentem horribili tractatione exceptæ, diverſiſque cædibus, ut Sanctæ Marthæ acciderat, deſolatæ

ſunt, ſed ut finis brevi huic ſummario citius accedat, eas particulari tractatu perſequi nolo, ut deteſtanda facinora, quibus aliæ regiones devaſtatæ ſunt, recenſere queam.

De littore Vnionum, & Pariæ, deque Inſula Trinitatis.

A Littore Pariæ, uſque ad ſinum Venecuolæ, excluſivè, quæ ſunt ducenta milliaria, Hiſpani maximas, & mirandas devaſtationes fecere: latrociniis enim, ſuo more incumbebant, & plures, quo poterant homines, ut eos venderent, ſervituti mancipabant, eoſque contra fidem datam, captivos ſæpe deducebant, (neque enim unquam fidei Indianis datæ ſtabant) quamvis tamen ab his innocentibus optimè tractati fuiſſent, & in illorum ædibus tanquam patres, vel liberi recepti, illis, quibus poterant modis in ſervientes, & omnium quæ habebant fruitionem, & uſum offerentes. Dici vix poſſet, aut exprimi qualibus, & quantis injuſtitiis, & injuriis, illius littoris incolæ, ab anno centeſimo quingenteſimo decimo, uſque in diem præſentem excepti ſint. Duo tantùm, aut tria facinora recenſebo, quorum gravitas, ad horrenda reliqua, & omnibus tormentis digna ſcelera comprehendenda, judicio viam patefaciet, & aperiet.

In Inſulam Trinitatis, quæ & amplitudine, & fertilitate Siciliæ præſtat, & terræ continenti, ex ea parte, qua Pariam attingit, conjuncta eſt, in qua & probiores, pro ſua qualitate, & virtuti magis dediti ſunt incolæ, reliquis Indiæ nationibus, quidam latro profectus eſt Anno milleſimo quingenteſimo decimo, ſociatus ſexaginta, vel ſeptuaginta furciferis: qui ſtatim edictum promulgarunt, ut omnes Indi accederent, & ſecum in ea Inſula viverent, & habitarent. Indii eos, ut naturales liberos receperunt, & illis tam Domini, quàm ſubditi magna alacritate inſerviebant, & ſingulis diebus cibos, qui ſuffeciſſent ad alendum multò majorem numerum, adferebant: hoc enim eſt moris Indianis hujus novi mundi, ut abuntantiſſimè neceſſaria Hiſpanis ſuppeditent. Paulò poſt Hiſpani amplam domum conſtruunt, & ædificant, in qua omnes Indiani ſimul habitarent, ſola enim domo eos uti volebant, ut id quod antea decreverant, executioni mandarent: quod & fecerunt. Cum ſtramen

ſtramen ligno apponerent, & jam in altitudinem duorum hominum ſuſtuliſſent, multos incluſerunt, operis, ut dicebant, accelerandi gratia, ſed verè ne qui foris erant, ab iis, qui erant domi videri poſſent, & ita pars domum cum gladiis, ne ullus egredi poſſet, circundat, pars verò domum intrat: & ſic evaginatis enſibus, & gladiis, Indianis nudis, mortem, ſi ſe moverent, minari cœperunt, eoſque ligarunt. Si qui autem fugæ ſibi conſulere vellent, illicò minutim diſcerpebantur: aliqui autem, qui partim læſi, partim integri evaſerant, cum reliquo populo, qui ædes ingreſſus non fuerat, centum fortè, vel ducenti numero, ſumptis arcubus, & ſagitis in aliam domum ſe receperunt: qui cum in eo toti eſſent, ut januæ ingreſſum prohiberent, & tutarentur, ignem ædibus alia ex parte Hiſpani injecerunt, & ita incendio omnes perierunt. Et hinc cum captivis, qui erant numero circiter centum octuaginta, quos vincire potuerant, ad Inſulam Sancti Joannis ſe contulerunt, ubi mediam partem, & inde in Hiſpaniolam, ubi reliquos vendiderunt. Cum autem hunc Capitaneum nequitiæ, & proditionis in ipſa Inſula Sancti Joannis inſimularem, hoc reſponſo me dimiſit: Deſiſte Domine mi, hoc in mandatis, ab iis, à quibus miſſus ſum, habeo, ut quos vi non poſſem, ſpecie, & colore pacis caperem. Et pro vero, & certo idem Capitaneus mihi retulit, ſe in ſola Trinitatis Inſula, patrem, & matrem inveniſſe, & hoc majori ſua confuſione, & peccatorum aggravatione dicebat. Similia infinita commiſerunt, miſeros hos homines, contra datam fidem, capientes. Conſiderentur jam hæc facta, & an Indii ſic capti juſtè inſervitutem redigi poſſint. Aliquando religioſi S. Dominici noſtri Ordinis conſultarunt de aliquo ex ſuis in dictam Inſulam mittendo, ut ſuis concionibus Indianos vero lumine, & remedio, quo animæ ſalvantur, & quo deſtituti omnino erant, munirent. Religioſum igitur Theologiæ licentiatum, virum & virtute, & ſanctitate inſignem eò, cum ſocio laico, miſerunt, ut regionem viſitaret, cum habitatoribus verſaretur, locaque apta ad conſtruenda monaſteria quæreret. Religioſi, ubi appullarunt, tanquam Angeli de cœlo demiſſi recepti ſunt, magnoque affectu, attentione & alacritate, verba, quæ cum illis tunc temporis facere poterant (erant enim linguæ ignari, & ſignis uti cogebantur) accipiebant. Accidit, ut poſt navis cum qua hic religioſus appulerat, diſceſſum, alia adveniret, cujus milites damnata ſua conſuetudine, fraude, inſciis, & ignorantibus religioſis, captivum abducunt provinciæ principem,

principem, qui (vel quod illi hoc nomen à religiosis, vel ab aliis Hispanis esset impositum) Alfonsus vocabatur, nam Christianorum nominum appellatione gaudent, statimque etiam antequam de ulla re informati fuerint, baptismo sibi imponi petunt. Ah iis fraude persuasus est dictus Dominus Alfonsus, ut navem cum conjuge, & aliis quibusdam, fingebant enim se convivium celebrare velle, intrarent. Et ita 17. cum Principe, & ejus conjuge navim conscenderunt, confidebat enim dictus Dominus religiosus impedimento fore, quo minus ulla molestia afficeretur, neque enim Hispanis tantum fiduciæ adhibuisset: Indiis ergo navium ingressis, perfidi Hispani vela ventis dedere, & insulam Hispaniolam, ubi pro servis venditi sunt, se contulere. Omnis turbata regio, cùm Dominum, & Dominam deductos esse cernerent, ad religiosos se contulit, & parum abfuit quin neci eos traderent. Religiosi verò tam injustum facinus cernentes, maximo dolore comprimebantur, & est verisimile, eos vitæ cedere malvisse, quàm pati tanta injuria Indianos affici, cum illud impedimento esset ne hæ creaturæ verbum Dei susciperent, & crederent. Indiani autem sedati sunt religiosorum pollicitationibus dicebant enim, se, prima solvente nave, ad Insulam Hispaniolam litteras missuros quibus efficerent, ut Dominus, aliisque, qui cum eo erant, restitueretur. Deus illicò navem misit, ad majorem eorum, qui gubernabant damnationis confirmationem, qua ad Insulæ Hispaniolæ religiosos scribunt, qui sæpè, & clamant, & protestantur, sed auditores justitiam denegarunt, prædæ enim Indianorum tam injustè, & nefandè captorum participes fuerant. Cum religiosi, qui incolis promiserant Dominum Alfonsum intra quatuor menses reversurum, neque quatuor, neque octo elapsis reverti cernerent, se ad mortem præpararunt, & ad tradendam Christo vitam, cui jam ante Hispaniarum decessum, obtulerant, & sic innocentes Indiani, de innocentibus vindictam sumpserunt: existimabant enim religiosos proditionis participes fuisse partim, quod cernerent illorum promissa de domini intra quatuor menses, reversione, nullum effectum sortiri, partim etiam quòd nullam illius regionis incolæ, inter fratres religiosos, & latrones Hispanos differentiam constituant. Benedicti igitur religiosi injustè passi sunt, & idcirco non est dubium eos fidei nostræ veros esse martyres, & hodie beatos cum Deo in cœlis vivere, à quo, sua obedientia, ad illos populos missi erant, & certum est illos prædicandi, & sanctam fidem dilatandi intentionem, habuisse, illasque animas

animas salvandi: qui omnes labores, & mortem ipsam, quando offerretur patienter ferre, decreverant. Hoc etiam, alio tempore, magna tyrannide, & crudelibus malorum Christianorum actibus accidit, ut Indiani duos religiosos Ordinis S. Dominici, morte, cuius fidelis sum testis, ut qui summo miraculo eandem evaserint, sustulerint, qua de re verba facere non decrevi, ne gravitate, & horrore facti, terror audientibus incutiatur: Quare, quousque tempus advenerit, prolixitatis vitandæ gratia, subticebo, & hæc omnia in die judicii dum Deus lutrociniorum tam horribilium vindictam sumet, apertiora, & clariora fient. In his provinciis, in sinu Coderæ, sita erat urbs, cuius Dominus Higueroto appellabatur, nomen, vel personis proprium, vel loci Dominis commune. Hic tam clemens erat, & eius subditi tanta virtute præditi, ut omnibus Hispanis navigio appellentibus, bona tractatio, cibi, quies, omnis consolatio adesset, nullum refrigerium deesset. Hic Dominus plurimos morti eripuerat, qui ex aliis provinciis, in quibus latrocinia sua, & cædes exercuerant, ægroti, & famelici, in eius regionem se receperant, quibus refrigeratis eos salvos, & incolumes in Insulam Unionum, in qua vivebant Hispani, remittebat, quos, sine ulla illorum mortis cognitione, occidere potuisset. In summa Hispani ædes communes, & omnium hospitium Higueroti subditos vocabant. Perfidus quidam tyrannus consilium cepit, de affligenda hac, quæ sibi satis tuta videbatur, regione, navigio ergò eò se contulit, & invitato hominum magno numero, ut navim ingrederentur, quod facere solebant fidem Hispanis adhibentes, postquam intrarunt, vela ventis commisit, & Insulam Sancti Joannis, in qua venditi sunt, petiit. Eodem tempore hanc Insulam appuli, ubi hunc tyrannum vidi, & quod patrarat, mihi relatum est. Illam urbem funditus delevit, quod Hispani reliqui, qui in eo littore deprædari, & excurrere solebant, ægerrimè tulerunt illudque scelus abominabantur, quòd domum illam perdidissent, in qua, tanquam in propriis ædibus, hospitio excipiebantur.

Non recitabo infinita scelera, quæ & patrata sunt, & quotidie in ea regione patrantur.

Illi ex hoc maris littore, quod frequenti populo incolebatur, ad Insulas Hispaniolam, & Sancti Joannis, ultra duos milliones hominum transportarunt, quas postea in dictis Insulis, partim in fodinis,

partim aliis laboribus abſumpſerunt, non computato infinito populo, qui antea in Inſulis, ut diximus, vivebat, & res eſt commiſeratione digna, & qua corda quantumvis dura, commoverentur, fertiliſſimum hoc littus omnino expopulatum, & deſertum cernere.

Ipſa veritate comprobatum eſt, eos nullam unquam navem his Indianis oneratam ducere, quin tributum tertiæ partis, undis perſolvant: adde eos, qui cum domi capiuntur, occiſione delentur. Harum rerum, finis, quem habent propoſitum fons eſt, & origo; opus enim eſt maxima Indianorum quantitate, ut ingens pecuniæ ſumma confletur, naves autem modico cibo, & aqua ad paucos alendos inſtructæ ſunt, ne tyranni, qui navium inſtructores nuncupantur, in iis comparandis nimios ſumptus faciant. Et vix pro ipſis Hiſpanis qui nave excurrunt, victus ſufficientes feruntur: quo fit, ut Indiani fame, & ſiti preſſi, occumbant, nec aliud eſt remedium, niſi, ut maris undis abſorbendi detrudantur. Et pro vero illorum quidam mihi retulit, ab Inſula Lucayos ad Inſulam Hiſpaniolam, quæ ſunt ſexaginta, vel ſeptuaginta itineris milliaria, tantas hac ratione ſtrages editas, ut navis, ſine circino, vel charta marina, ſed ſolis cadaverum fluctuantium veſtigiis ducta, eò pervenerit.

Poſtea verò, cum deſcendunt in Inſulam, ad quam vendendi dicuntur, nullus eſt, ſi vel minima miſericordia ducitur, qui animo maximè non commoveatur, cum videt tam ſenes, quàm fœminas & infantes nudos & famelicos, nimia ſiti & fame deficere. Poſtea autem illos, tanquam agnos dividunt, & patres à liberis, fœminas à viris ſeparantes, turbas decem, vel viginti perſonarum conficiunt, & ſortem in eos jaciunt, ut partem ſuam accipiant deteſtandi navium inſtructores, qui duas, vel tres naves præparant, & armant ad claſſem piratarum & latronum, qui homines in propriis ædibus deprædantur, & rapiunt. Quando verò ſors cadit in turbam, quæ ſenem, vel ægrotum capit, is tyrannus, cui obtingit, hæ verba proferre ſolet: Devoveatur omnibus diris hic ſenex, quare illum mihi das? ut humo mandem? Et quare mihi hic ægrotus obtingit? ut de illius cura ſim ſollicitus? Hinc colligatur, qua in æſtimatione Hiſpanis ſint Indii, & utrum præceptum Dei de amore erga proximum, unde lex pendet, & Prophetæ peragant, & compleant.

Tyran-

Tyrannide, quam Hiſpani in Indios extrahendis, & expiſcandis unionibus exercent, nihil eſt aut crudelius, aut deteſtabilius. Inferorum enim aut huius vitæ, quantumvis deſperatæ tormenta, cum his nullam comparationem recipiunt, quamvis in extrahendo auro, in ſuo genere ſint duriſſima. Illos n. in mare, ſub aquæ quatuor, vel quinque ulnarum profunditatem, immittunt, ubi continuo navigantes, ſine ulla reſpiratione, oſtrea, in quibus uniones generantur, eradigant. Illi cum retiis, oſtreis plenis, ut animum recipiant, quandoque ad aquæ ſuperficiem accedunt, quod ſi diutius paulò quieſcendi gratia, miſeri immorentur, adeſt carnifex, parvo navigio vectus, qui multis plagis eos excipiens, ad aquam crinibus acceptos reducit, ut expiſcationi denuò inſtent. Illorum cibus eſt piſcis, & ille idem, qui uniones & panem Cacabi continet, & parvus Mahidum, qui ſunt illius Regionis panes, numerus, in quorum primo, parum eſt alimenti, & ſubſtantiæ, alterum verò magna difficultate conficitur, neque adhuc ad famam reprimendam, ſufficienter datur. Illorum verò lectus eſt terra, cum cippo, ne fugiant: Sæpè autem in hac piſcatione, & labore ſubmerguntur, nec poſtea in undarum ſuperficie viſuntur; Tuberones enim, & Maroxi (monſtrorum marinorum, integrum hominem devorantium, genera) eos interimunt, & comedunt. Conſideretur jam utrum in hoc unionum lucro Dei præcepta de amore erga ipſum, & proximum, cum horum miſerorum corpora, & animæ conjciuntur in periculum mortis, obſerventur, & compleantur: proximos enim ſine fide, & Sacramentis, ſua avaritia, perimunt, vel tantis laboribus illorum vitam conterunt, ut brevi tempore ex hac vita emigrent, nam omnino eſt impoſſibile longum ævum ſub undis, ſine animorum receptione, trahere, nam præ nimia frigoris rigiditate ſanguinem ore comuniter ſpuentes, moriuntur, quod accidit ex nimia pectoris compreſſione, quæ ex continua halitus ſub undis retentione, procreatur, nimio enim frigore ſanguinis profluvium gignitur. Crines, quos natura ſua nigros habent, in combuſtum colorem, luporum marinorum crinibus perſimilem, mutantur: humeri verò ſalſugine ita conſperguntur, ut monſtra potius in hominum forma quàm homines appateant.

Hoc intolerabili labore, vel potius diabolico exercitio, omnes Lucayanos, conſueto huius lucri emolumento, conſumpſerunt, & ita ex unoquoq; Indiano quinquaginta, vel centum coronatos conſequebantur. Illos

tur. Illos publicè (quamvis juſtitia , aliàs injuſta prohibitum eſſet) vendebant ; Lucayani enim natatores erant peritiſſimi. Ex aliis etiam provinciis, multiin hac Inſula perierunt.

De Flurio Yuya Pari.

ALluit hanc provinciam Fluvius Yuya Pari, in alia regione vltra, ducentis terræ milliaribus diſtante , oritur. Per hunc quidam perditus tyrannus , in ravit , & multa terræ milliaria devaſtavit ; cædes maximas edidit , multos igne conſumpſit , & infinitum Indianorum ædibus pacificè, & ſine ulla timoris ſuſpicione viventium , numerum, gladio delevit. Tandem mala morte periit ejuſque omnes copiæ per ſe ipſas deletæ ſunt, ejus deinde nequitiis & crudelitatibus multi ſucceſſere, & adhuc quotidie deſtruentes, & cædentes , ad inferoſque animas filii Dei ſanguine redemptas mittentes, proficiſcuntur.

De Regno Venecuelæ.

ANno 1526. Rex Dominus noſter , quorundam fallaciis perſuaſus (ſolent. n. Hiſpani damna & detrimenta , quæ Deus , animæ , & Indiæ ſtatus recipiunt , illi celare , & occultare) Regnum Venecuelæ. quod Hiſpaniarum regno amplidudine , & longitudine præſtat , cum ejus gubernatione & planaria jurisdictione , certis capitulationibus & conventionibus quibusdam mercatoribus Germanis commiſit. Qui hanc regionem cum 300. hominibus ingreſſi ſunt , ibique comem , & benignum populum invenere , quales etiam ſunt in reliquis Indiæ regionibus , antequam ab Hiſpanis ulla injuria afficiantur. Iſti nulla comparatione crudeliores reliquis , de quibus locuti ſumus , extitere , ſe tygridibus ferocibus , & lupis , leonibusque inhumaniores præbentes , jurisdictionem enim hujus regionis habebant , & iccirco liberius eam poſſidentes , majori cura . & avaritia , in practicis , & modis cumulandi , & deprædandi auri, & argenti , invigilabant in eo omnes anteceſſores , reiecto omni , Dei & Regis timore , ſeperantes, imò oblivioni tradentes ſe homines eſſe natos.

Incar-

Incarnati hi Diaboli devaſtarunt , & deſolatunr quadringenta milliaria terræ fertiliſſimæ , quæ provincias maximas , & mirabiles, convalles , ampliſſimas , quæ in longitudinem quadraginta miliarium extendebantur, & magnos pagos, auro argentoque fertiliſſimos capiebant. Tantas , & diverſas regiones deleverunt, ut nullus tantæ cladis nuntius ſuperfuerit, niſi fortè aliqui in cavernis , & viſceribus terræ latitantes gladiorum inhumanos , & ſanguinolentos mucrones effugerint , & evaſerint. Novis , & inuſitatis crudelitatum , & tormentorum generibus , eos quatuor , vel quinque miliones animarum deſtruxiſſe , & ad inferos miſiſſe, exiſtimo. Neque adhuc hodie infinitis ſuis ſceleribus , & facinoribus , finem imponunt. Tria , aut quatuor, quibus de reliquis deſtructionibus , & deſolationibus , quas patrarunt, judicium fieri poterit , recenſebo.

Summum totius provinciæ Dominum , ut aurum ab eo emungerent , captivum ceperunt , confeſſiones tormentis quærentes , qui evadens ad montes confugit , & idcirco ſubditi in montibus , inter dumeta ſylvarum latitantes ; ad ſeditionem , & tumultum concitati ſunt Hiſpani perſequuntur , & multos delent , illi verò , qui vivi in eorum poteſtatem devenerunt , publicè per præconem , pro ſervis venditi ſunt. In multis , imò in omnibus provinciis , ad quas ante ſupremi Domini captivitatem , pervenere , ab Indianis cantibus , & ſaltationibus , & ingentibus auri donis recepti ſunt , enſium autem mucronibus , & horrendis ſtragibus remunerati , & compenſati fuerunt. Aliqua die , cum honoris gratia , obviam procederent Hiſpanis ; Capitaneus , & tyrannus Germanus eorum infinitum numerum in ſtraminea domo, convocari , & congregari , poſteaque membratim diſcerpi, juſſit. Sed qua in ſupetiori ædium parte trabes erant , quas , ad inhumanarum manuum ſanguinolentos mucrones fugiendos , conſcenderant (ô belluas crudeles) miſit gubernator , qui in eas ignem inſicerent , ut ita vivi comburerentur. Quare tota regio , incolis in montibus ſalutem querentibus, ſolitaria , & deſerta remanſit.

Acceſſerunt ad amplam aliam provinciam Sanctæ Marthæ confinem , ubi Indios in ſuis pagis , & ædibus , privatis negotiis, pacificè incumbentes, invenerunt , ubi diu habitantium impenſis viventes manſerunt , & indiani ita inſerviebant , ac ſi ab illis aut vitam , aut ſalutem recepturi fuiſſent , tanta patientia ordinarias oppreſſiones , & continuas

importunitates, quæ ab ullo vix ferrentur, tolerantes, ut dici non posſit : adde etiam unicum Hiſpanum una die, quod per menſem familiæ, quæ decem perſonas contineret alendas, ſufficeret, devorare. Tunc temporis Indiani innumera auri ſumma eos donarunt, multaque dona, & innumerabilia ſervitia præſtiterunt. Tandem cum abitum molirentur iſti Tyranni, in ſolutionem bonæ tractationis ab Indianis acceptæ, hoc modo eos tractare decreverunt : Germanus gubernator tyrannus, &, ut credimus, hæreticus (nam nec unquam aderat Miſſæ, nec aliis adeſſæ permittebat, cum multis Lutheraniſmi evidentibus ſignis) juſſit, ut omnes Indiani cum fœminis & liberis, ſi fieri poſſet, caperentur, & in amplo aliquo loco concluderentur, illisque indicaretur, & ſignificaretur, ut quicunque libertati mancipare ſe cuperet, injuſti gubernatoris arbitrio, aut certo pretio ſibi, conjugi, & unicuique liberorum impoſito, ſe redimeret. Et ut magis negotium acceleraret, prohibuit, ne ullus cibus ante perſolutam auri, quod pro pretio redemptionis petebatur, ſummam, illis propinaretur. Plurimi ad pretium redemptionis perſolvendum domum mittebant, & ſe, ut poterant, redimebant, ut negotiis, quæ circa victum quærendum verſantur, vacarant : ſed ad eoſdem, paulò poſt aliquos prædones, & latrones mittebat, qui eos, jam ſemel captivitate ſolutos ſervituti iterum manciparent. Iterum ad ſupradictum locum ducuntur, ut fame, ſitique preſſi ſecundò ſe redimere, cogerentur. Et ita multi illorum ter, quaterve capti, & toties redempti ſunt. Alii verò, qui tantæ ſummæ ſatisfacre non poterant, in dicto loco concluſi, fame perierunt. Et hoc modo provincia populi, aurique ditiſſima, deſolata eſt, quæ convallem quadraginta milliarium habet, in qua talis combuſtus eſt pagus, qui mille ædes caperet. Hic tyrannus ulterius procedere decrevit, magno deſiderio, inferorum Peruſii, ex hac parte detegendorum, diſtentus. Ad quod iter infinitos Indianos immenſis ponderibus oneratos, cathenisque vinctos, aſſumpſit. Quod ſi aliqui aut fame aut labore deficerent, capite illicò truncabantur, ne Hiſpani nimium laboris in cathenis aperiendis, ſuſciperent, & ita tuncum corpus una ex parte, & caput ex alia decidebat, onus deficientis dividebatur, & aliis imponebatur. Si provincias, quas deſertas reddidit urbes & loca, quæ combuſſit, (omnes enim ædes erant ſtramineæ) crudelitates : & particulares, quas patravit, cædes, enumerarem, quamvis ve-

vis veritati non repugnaret meus ſermo tamen fides non adhiberetur, & animos in ſtuporem traheret.

Hanc ipſam viam ſecuti ſunt alii tyranni, qui Venecuela, & provincia Sanctæ Marthæ (eodem conſilio detegendæ : Sacratæ ædis aureæ Peruſini) ſolverant qui ita combuſtam, expopulatam, deſertam, & devaſtatam regionem, quæ & fructibus, & populo fertiliſſima fuerat, invenerunt, ut ipſimet, quamvis crudeles tyranni, tantarum devaſtationum veſtigia mirarentur, & ſtuperent.

Hæc omnia, multaque alia teſtibus à fiſco Conſilii Indiani probata ſunt, & probationes ab eodem conſilio aſſervantur, quamvis execrandorum horum tyrannorum nullum combuſſerint, ut nihil ſit omnino, quod de magnis devaſtationibus, & malis, quæ ab illis patrata ſunt, probatum eſt : nam qui huc uſque in India vixerunt juſtitiæ miniſtri, magna, & damnata ſua cœcitate, non multum ſolliciti fuerunt de examinandis delectis, & cædibus, quas dicti tyranni, & committunt, & commiſerunt, niſi quòd dicant : Quia talis, & talis, malè, & crudeliter Indios tractavit, tanta ſumma coronatorum ex annuo Regis reditu diminuta eſt ; & illis hæc generalis, & confuſa probatio, ſufficit ad repreſſionem tantorum facinorum. Neque etiam, quantumvis paucæ ſint, ut decet, verificantur, neque illis tantum authoritatis, & ponderis, quantum deberent, tribuunt : nam ſi officio erga Deum, & Regem, ſatisfacerent, inveniretur, ultra tres auri milliones Germanos tyrannos Regi furatos eſſe, dicta enim regio Venecuelæ, cum quadringentis terræ, quam devaſtarunt, milliaribus, felicitate, ut dixi, & auri divitiis, nulli regioni cedit, atque ita abhinc ſeptendecim annis, quibus hi, & Dei, & Regis hoſtes has regiones depopulari, & deſtruere cœperunt, Regi ultra duo auri milliones, ex annuo reditu, in hoc Regno, erepti ſunt, neque eſt ſperandum, hæc detrimenta, quandiu mundus ſtabit, reparari poſſe, niſi Deus, inſigni aliquo miraculo, tot millia hominum, quot defuncta ſunt, ſuſcitaret. Et hæc ſunt Regis temporalia damna. Conſultum etiam eſſet damna, dedecora, maledicta ſacrilega, & infamias, quibus Deus affectus eſt, conſiderare. Quomodo autem poſſent recuperari, & compenſari tam multarum animarum, quæ horum brutotum. tyrannorum, vel Germanorum crudelitate, & avaritia - in inferis cruciantur, damna ? De illorum autem nequitia, & crudelitate hoc unicum concluſionis loco addam, nempe ab eo tempore

pore, quo hanc regionem ingressi sunt, septendecim annis, eos multas naves Indianis oneratas, ut vendetur, ad Insulas S. Marthæ, Hispaniolm, Jamaycam, & S. Joannis remisisse, & ad minimum unum millionem hominum vendidisse, & adhuc anno millesimo quingentesimo quadragesimosecundo mittebant, hoc vidente, & sciente Regio huius Insulæ consilio, quod quidem videre se, quod maximè videt, dissimulat, patitur, & favet: & reliquis sceleribus, & devastationibus infinitis, quæ in hoc toto terræ continentis littore, quod in longitudinem quadringentorum milliarium protrahitur, quod adhuc est, cum Venecuela, & Sancta Martha sub eius jurisdictione oculos claudit, cui rei mederi, & impedimento esse potuisset Indianos in servitutem redigendi hæc sola causa extitit, perversa nempe, excœcata, & obstinata horum tyrannorum voluntas, & desiderium aurum cumulandi, divitiasque congregandi, quod illis, cum reliquis, qui in Americam profecti sunt, est commune: hos enim agnos ex ædibus vi trahentes, cum fœminis, & liberis in captivitatem deducebant, horrendis, qui superius relati sunt, modis eos affligentes, eisque Regium stigma, ut servis, infigentes.

De Provinciis ejus terræ, quæ florida appellatur.

IN has provincias tres tyranni, diverso tempore ab Anno millesimo quingentesimo decimo, vel undecimo profecti sunt, ut iisdem actibus quibus alii, & eorum duo in aliis regionibus incumberent, ut sanguine & destructione sui populi majores dignitates, & officia, quàm illorum merito convenirent, consequerentur, tandem omnes mala morte sublati, & ædes, quas olim sanguine humano, quod de unoquoque horum trium testari possum, struxerant, & ædificaverant, cum illis perierunt, & eorum memoria, de facie terræ, ac si nunquam extitissent, deleta est. Illi valdè turbatas, & confusas has regiones reliquerunt, nec minorem infamiam, certis, quas patrarunt, cædibus, nemini inusserunt, quamvis non multæ sint; Deus enim antequam plures committerent, vita eos privavit, & eorum, quæ & scio, & vidi, malorum, in aliis Indiæ partibus patratorum, castigationem, & ultionem, in hunc

in hunc locum reservarat. De quarto verò tyranno, qui benè instructus nuper anno millesimo quingentesimo trigesimooctavo in hanc regionem venit, ab hinc tribus annis nullus nuntius: Certi sumus eum primo in regionem introitu crudeliter se gessisse, & quasi in ecstasim incidisse. Quod si vitæ supersit, cum suis, innumerum populi numerum, si tamen in via offendit, destruxit, & desolavit, ille enim inter omnes eos, qui majora damna, facinora, & Regnorum, provinciarumque cum sociis devastationes commiserunt, crudelitate insignis est, quare Deum illi, quem aliis finem concessisse arbitror.

Tribus vel quatuor annis, postquam, quæ recensui, accidissent, ea regione reliqui tyranni qui cum hoc majore tyranno, qui ibi extremum diem clausit, profecti erant, solverunt, quorum inhumanorum hominum crudelitates, & scelera, quæ eo vivente, & post miseram ejus mortem contra hos innocentes Indianos, & nulli nocentes patraverant, intelleximus, quæ tantæ fuerunt, ut iis regula, & axioma, quod in principio proposuimus, confirmetur, nempe eos, quò ulterius in destructione, perditione, & desolatione harum regionum, & earundem habitatorum procederent, eò majores, & notabiliores crudelitates, & iniquitates commisisse. Sed quia tædet me tam execrabilia, & sanguinolenta, non hominum, sed belluarum acta, recensere, in eorum, quæ subsecuta sunt, narratione, diutius immorari nolo.

Amplum populum, sapientes, moratos, & benè constitutos homines invenere, quorum tantas strages, suo more, ediderе, ut eorum animis, terror maximus incuteretur, magnis angoribus, magnis ponderib. tanquam bestias, eos onerabant. Si verò aliquis nimia defatigatione deficeret ne nimium laboris in cathenis aperiendis sumerent, antequam ad defatigatum pervenirent, proximum capite truncabant, sicque ut alibi sæpe factum retulimus, truncum corpus una ex parte, & caput ex alia parte, decidebat. In pagum quendam intrantes magna lætitia, & exultatione ab Indianis recepti sunt, qui cibos, quousque saturarentur, illis proponebant, & ultra sexcentos homines ad ferenda onera, & impedimenta, bestiarum more, & ad equos curandos concesserunt. Hispanis discedentibus, quidam Capitaneus tyranni majoris consanguineus, ut populum non diffidentem deprædaretur, reversus est, & Regem provinciæ lancea perforatum, occidit, multasque alias crudelitates commisit. In alio pago, cujus incolæ illis videbantur vicinicres, & vigilantiores pro-

pter horrenda ſcelera, quæ ab illis patrari audiverant, omnes & parvos, & magnos, juvenes, & ſenes, dominos & ſubditos, nulli parcentes, lanceis, & enſibus, vita privarunt.

Tyrannus major, naſo, & labiis ad barbam uſque magnum Indianorum numerum (narrantur ultra ducenti fuiſſe) quos ex quodam pago advocaverat, vel certè ſponte non vocati, venerant, truncari juſſit. Et ita in hoc miſero ſtatu, & doloribus, ſtillante ſanguine, eos remiſerunt, ut operum, & miraculorum, quæ ab his prædicatoribus in ſancta Catholica fide baptiſatis fiebant, nuntii exiſterent.

Judicetur jam de amore, quo tales homines in Chriſtianos feruntur, qua ratione credant Deum eſſe, quem bonum, & juſtum legemque quam profitentur eſſe ſine macula, jactitant, & prædicant. Maxima ſunt mala ab his ſceleratis hominibus, perditionis filiis, patrata. Tandem, ſine ulla pœnitentia, perditus hic Capitaneus obiit, nec dubitamus eum in infernorum tenebris ſepultum jacere, niſi tamen Deus illius, ſecundum immenſam ſuam miſericordiam, & clementiam, non autem ſecundum illius merita malis execrandis contaminata, miſertus fuerit.

De Flumine Plata, hoc eſt, argenti.

AB anno milleſimo quingenteſimo ſecundo, vel tertio, aliqui Capitanei, quatuor, vel quinque itinera ad fluvium Platæ ſuſceperunt, qui magna regna, & provincias, homineſque benè diſpoſitos, & rationis capaces, continet. In genere quidem ſcimus eos maxima damna, & cruentas cædes commiſiſſe: ſed cum ab Indiis de quibus communior eſt ſermo, longè diſtent, ſingulare nihil, aut particulare recenſere poſſumus. Non dubitamus tamen eos iiſdem operibus, quibus alii in diverſis regionibus adhuc hodie dant operam, incubuiſſe, & adhuc incumbere: iidem enim ſunt Hiſpani, & multi, qui aliis executionibus adfuerunt, eò etiam profecti ſunt, omneſque unum, eundemque ſcopum propoſitum habent, ut divites, & potentes fiant, quod conſequi non poſſunt, niſi eundem ordinem, quem alii ſequantur, & eandem viam occidendi, prædandi, & Indianos deſtruendi, calcent.

Poſt

Poſtquam, quæ ſuperius dixi, ſcripſiſſem, pro vero mihi relatum eſt, eos in illis regionibus magnas provincias, & Regna devaſtaſſe, in hos miſeros homines maximas cædes, & crudelitates horrendas perpetrantes, quibus, reliquis, ut qui longè ab Hiſpania diſtantes, majorem habuerint commoditatem, inſigniores, & præſtantiores ſe præbuerunt, & inordinatè omni juſtitia ſepoſita, vixerunt, quæ nulla eſt in omnibus Americæ regionibus, ut ex ſupradictis, ſufficienter apparet. Inter infinita autem, quæ poſtea ſequentur, ſcelera, hoc etiam in conſilio Indiæ prælectum eſt. Quidam gubernator ſuis militibus in mandatis dedit, ut in quendam pagum ſe conferrent, ubi ſi victus denegaretur, omnes incolas interficerent. Hâc authoritate nitentes milites profecti ſunt, & quia Indiani illis ſe dedere noluerunt, tanquam hoſtibus, timentes potius ne eos viderent, quàm quòd liberalitas deficeret, ultra 5000. hominum, gladiis uſuram vitæ eripuerunt. Item certus hominum in pace viventium numerus, ſe illius ſervitiis obtulit, forte fortuna hi à gubernatore erant advocati, qui cum diutius paulò remorati eſſent, ut horiribilem terroris notam, illis infigeret, juſſit, ut Indiis, quos pro hoſtibus habebant, traderentur, qui miris clamoribus, & fletibus eos rogabant, ut propria illorum manu potius interficerentur, quàm ut hoſtibus traderentur, & cum domo in qua erant, egredi nollent omnes membratim diſcerpti ſunt, clamantes, & dicentes: Nos accedimus, ut vobis in pace inſerviamus, & nos occiditis, ſanguis noſter his parietibus infixus manet, ut teſtimonium de injuſta noſtra morte, & veſtra crudelitate perhibeat. Certè hoc facinus commemoratione, ſed potius commiſeratione eſt dignum.

De magnis Regnis, & Amplis Provinciis Peruſii.

ANNO milleſimo quingenteſimo trigeſimo primo, magnus tyrannus, cum quibusdam, in Regna Peruſii, iisdem titulis, eademque intentione, & principio, quo reliqui, ingreſſus eſt, & quidem, cum unus eſſet, ex iis, qui in cædibus, & crudelitatibus, quæ in terræ continenti ab Anno milleſimo quingenteſimo decimo, commiſſæ ſunt, ſe exercuerant, incrementum crudelitatum, cædium, & latrocinorum capiebat, & urbes, pagoſque (vir nullius fidei, vel veritatis devaſtans, & deſtruens, eius-

ens, ejusque incolas cædens, causa extitit tantorum malorum, quæ postea in illis regionibus, subsecuta sunt, quorum narrationem suscipepere, & ad vivum, legentium oculis, ut decet, repræsentare omnino impossibile foret, quousque apertius, & clarius in die Judicii omnibus apparebunt, & innotescent. Quod ad me attinet, si aliquorum deformitatem, qualitatem, & circumstantias describere aggrederer, fateor me tanto oneri non posse, ut decet, satisfacere.

Primo suo introitu, aliquot pagos devastavit, & in iis magnum auri pondus deprædatus est. Cum in Insulam dictis regionibus vicinam aliquando se contulisset, huic Insulæ nomen Pugna, quæ peramœna erat, & populo frequenti culta) à Principe, & populo, tanquam Angelus de cœlo dimissus; receptus est. Postea verò, cum sex mensibus elapsis Hispani omnem victum consumpsissent, eis frumenta, quæ in locis subterraneis ad tempus sterilitatis, vel ariditatis, pro se, conjugibus, & liberis, asservabant, detexerunt, & aperuerunt, multisque lacrymis, & fletu, ut pro arbitrio uterentur, obtulerunt. Eos autem, in fine ita remunerarunt, ut gladiis, lanceisque infinitum eorum numerum peremerint, eosque que vivi venerant in eorum potestatem, servituti mancipârint, cum immensis aliis crudelitatibus, quas in expopulatione, & desolatione hujus Insulæ commiserunt.

Inde in Insulam Tumbalam, quæ in Terræ continenti sita est, proficiscuntur, ubi quotquot in eos inciderunt, morte affecti sunt. Et quia populus horrendis eorum factis stupefactus fugiebat, rebellionis in Regem Hispaniæ eum insimularunt. Iste tyrannus hac industria in suis actis utebatur: omnibus iis, quos capiebat, vel qui auro, argento, & aliis rebus illum donabant, jubebat, ut semper adferrent, quousque eos omnibus rebus destitutos cernebat. Tunc se eos pro vasallis, & subditis Regis Hispaniæ recipere dicebat, illisque blandiebatur; & duplici tuba se eos deinceps non capturum, nec ulla injuria affecturum, proclamabat: licitum esse existimans eos deprædari, & tam impiis, & abominandis nuntiis terrere, antequam sub Regis protectionem eos recepisset, ac si ab eo tempore, quo sub Regis protectionem recepti essent, eos non esset deprædatus, nullisque malis oppressisset, aut destruxisset.

Paulò



Paulo post Rex, & supremus Imperator omnium horum regnorum, Ataliba nomine, magnas ducens copias hominum nudorum, & ridiculis armis utentium, ignorans quales essent Hispanorum mucrones, quales lancearum ictus, & equorum, quorum usus penitus erat illi incognitus, & inauditus, vires, & Hispanos, ipsis diabolis, aurum, si haberent, surripere posse, ad locum, in quo tunc temporis agebant, accessit,

ceſſit, dicens ; Ubi ſunt iſti Hiſpani, accedant, hinc non movebo pedem, quouſque ſubditorum, quos occideruot, pagorum, quos incineres redegerunt, mearumque divitiarum, quas deprædati ſunt, rationem reddiderint. Hiſpani ei obviam procedunt, infinitum hominum numerum cædunt, ipſiuſque Regis, qui lectica portatile ferebatur, perſonam capiunt. De ejus redemptione tractavit : Rex ſe quatuor milliones coronatorum daturum, pro redemptionis pretio, promittit, & quindecim numerantur : illi ſe relaxaturos pollicentur, ſed omni fide, & veritate poſtpoſita (ut fidei Indianis datæ, nunquam ſteterunt) ſuo Imperio populum congregari, falsò illi impoſuerunt. Rex verò reſpondit, in totare-gione, ne folium quidem in arbore ſine authoritate ſua, & voluntate moveri, quòd ſi aliqui congregarentur eos debere credere hoc non ſine Imperio ſuo eſſe factum, ſe eſſe captivum, & in eorum poteſtate ſitum, ut ſibi vitam etiperent. Hoc non obſtante, de eo vivo comburendo conſilium ceperunt, & paulò poſt, ſententiam tulerunt, ſed aliquorum precibus Capitaneus eum ſtrangulari juſſit, & poſtea in ignem conjici. Rex ſententia mortis intellecta, dicebat : Quare me comburitis ? quid patravi? nonne libertatem mihi reſtituere modò aurum darem, promiſiſtis ? nonne majorem ſummam quàm promiſeram, dedi ? Sed quia ſic placet, mittite me ad veſtrum Hiſpaniæ Regem : & hujuſcemodi multa ad confuſionem, deteſtationemque injuſtitiæ Hiſpanicæ, proferens combuſtus eſt. Conſideretur hoc loco jus, & titulus hujus belli, hujus Principis captivitas, ſententia, & ejus morris executio, & conſcientia, qua hi tyranni ingentes theſauros, quos in his regnis huic regi, & aliis infinitis dynaſtis ſurripuere, poſſideant. Quantum autem ad innumeras, & enormes crudelitates, ab iis, qui ſe Chriſtianos nuncupant, in extirpatione hujus populi commiſſas, hic aliquas recenſebo, quas in principio vidit quidam frater Ordinis S. Franciſci, & litteris, nomine ſigilloque ſuo, munitis, affirmavit, eos ad aliquas illarum regionum provincias, & ad Regnum Caſtellæ, mittens : quarum antigraphum ejus manu ſubſignatum, penes me habeo, quo hoc continetur.

„ Ego frater Marcus de Xlicia, Ordinis Sancti Franciſci omnium
„ fratrum ejuſdem Ordinis in Provinciis Peruſii præfectus, qui ſum ex
„ primis religioſis, qui has terras, cum Hiſpanis ingreſſi ſunt, dico, cer-
„ tum perhibens teſtimonium eorum, quæ meis oculis vidi, & quæ præ-
„ cipuè tractationem, hujus regionis incolarum, concernunt. Primo teſtis

ſtis ſum oculatus, & certam habeo cognitionem, hos Peruſii incolas, « esſe gentem, quæ & comitate, & clementia, & amore erga Hiſpa- « nos reliquis Indianis, præſtet. Et vidi eos abundanter aurum, & ar- « gentum, & gemmas Hiſpanis dantes, eiſque innumera ſervitia præ- « ſtantes. Neque Indii unquam bella moverunt, antequam infinitis in- « juriis, & crudelitatibus affecti, ad id coacti fuerint : è contrario Hi « ſpanis omni amicitia, & honore in pagis receptis, & victum, & tan- « tum numerum maſculorum, & fœmellarum, quantum ad ſuum ſervi- « tium petierint, præſtitiſſe. «

Item ſum teſtis, quòd nulla ab Indiis data occaſione, Hiſpa- « ni quamprimum has terras intrarunt, ipſorum maximum Cacicum A- « talibam totius regionis Principem, poſtquam ab eo ultra duos auri mil- « liones, accepiſſent, & ejus provincia, ſine ulla reſiſtentia, in eorum « poteſtatem veniſſet, igne combuſſiſſe. Quem in eodem ſupplicii ge- « nere ſecutus eſt Cochilimaca ejus Capitaneus generalis, qui cum aliis « dynaſtis cum pace venerat. Idem paucis poſt diebus cuidam dynaſtæ « provinciæ Quitoniæ accidit, qui etiam nulla ſua culpa, nec minima oc- « caſione data, combuſtus eſt. Injuſtè etiam Schaperam Canariorum « Principem combuſſerunt. Pedes etiam Alvidis omnium, provinciæ « Quitoniæ, dominorum maximi, igne conſumpſerunt, variisque aliis « tormentris affecerunt, ut aurum Atalibæ, cujus, ut poſtea apparuit, o- « mnino erat ignarus, indicaret. Quitonium etiam Cocopagangam, o- « mnium Quitoniæ provinciarum gubernatorem, qui Sebaſtiani Bernal- « cacari, gubernatoris Capitanei, precibus victus, in pace venerat, quòd « petitum aurum non daret, cum multis aliis Cacicis, & præcipuis Do- « minis combuſſerunt, Et intellegio, talis erat Hiſpanorum intentio, « ut nullus dynaſta, aut ſatrapa in tota regione ſupereſſet. «

Item affirmo me propriis oculis vidiſſe Hiſpanos, nulla alia « ſatione motos, niſi quod ita illis in mentem veniret Indianos, & In- « dianas manibus, naſo, & auribus truncaſſe, & id tam diverſis in locis, « & regionibus, ut eas recenſere nimis longum, & prolixum foret. Et « vidi Hiſpanos canes in Indios emittentes, ut illos devorarent, & ab il- « lis tantum ædium, & pagorum numerum combuſtum, ut recenſeri non « poſſit. Hoc etiam verum eſt, illos ex amplexu matrum pueros abripuiſ- « ſe, & eos brachiis, ſumentes, quo longius poterant projeciſſe. Et alias « multas crudelitetas commiſerunt, quæ me ſolo viſu terrebant, & quas « longum eſſet enumerare.

Item

„ Item affirmo Hiſpanos in tribus domibus tantum Indianorum
„ numerum, quantum illæ capere poterant, congregaſſe, & convocaſ-
„ ſe, in quas, nulla data occaſione, vel minima cauſa ignem injecerunt,
„ & omnes ad unum combuſſerunt. Accidit autem ut quidam presby-
„ ter, nomine Ocana, puerum flammis eriperet, quod cernens Hiſpanus
„ ipſi illum abſtulit, & in medium flammarum conjecit, ubi cum aliis
„ ſtatim in cineres redactus eſt, qui Hiſpanus ea ipſa die, qua hoc pa-
„ travit, caſtra tepetens ſubitanea morte, in itinere concidit, & de eo
„ non inhumando conſilium dedi.

„ Item vidi eos ad Caciços, & principales Indianos miſiſſe, ut
„ in pace, & ſecuritate accederent, illis clientelæ diplomata promit-
„ tentes, qui cùm advenirent, ſtatim comburebantur. Illi duos me præ-
„ ſente exuſſerunt, alium Andoniæ, alium Tumbalæ nec tantum potui
„ meis ſermonibus, & prædicationibus efficere, ut flammis illos eripe-
„ rem. Et hoc ſecundum Deum, & conſcientiam dico, quantum po-
„ tui cognoſcere, nunquam Peruſii incolas contumaciam, & rebellio-
„ nem excitaſſe, aut commoviſſe, quamvis, ut unicuique eſt manifeſtum
„ mala tractatione, & crudelibus tormentis afficerentur. Et meritò,
„ Hiſpanis fidem fallentibus veritatemque prodentibus, & tyrannicè con-
„ tra omne fas, & jus, eos, cum omni regione deſtruentibus, & innu-
„ meris damnis afficientibus, ſe ad mortem potius præparaiunt, quàm
„ adhuc ſemel in tantas miſerias incidere.

„ Item & relatione ipſorum Indianorum, dico, majora au-
„ ri pondere adhuc eſſe abſcondita, quàm in lucem hactenus prodierint,
„ quæ propter injuſtitias, & crudelitates Hiſpanorum detegere nolue-
„ runt, nec detegent, quamdiu hac tyrannica tractatione excipientur, ſed
„ ſatius ducent, cum aliis mori. In quo Deus Dominus maximè offen-
„ ſus eſt, & Regi mala ſervitia præſtita ſunt, defraudatus enim eſt hac
„ regione, quæ ad Caſtellam alendam ſufficiebat, ad cujus recupera-
„ tionem magna difficultas, impenſæque maximæ deſiderantur.

Et huc uſque ipſamet religioſi verba recenſui, quæ Epiſcopus Mexiconenſis rata habet, qui teſtatur dictum fratrem Marcum, quæ ſuperius relata ſunt, affirmaſſe, & aſſeveraſſe.

Hic conſideranda ſunt, quæ dictus religioſus vidit, namque per quinquaginta, vel centum regionis milliaria, ſpacio novem vel decem

decem annorum peregrinatus eſt, cum pauci adhuc Hiſpani in illis regionibus viverent, ſed poſtea ad auri ſonum quatuor vel quinque millia adventarunt, qui per magna Regna, & provincias longitudinis 500 & 600. milliarium ſparſi ſunt, quas omnino deſolarunt, eadem, & crudeliora, quàm quæ ſupra narrata ſunt, perpetrantes. Verè ab eo tempore in præſentem uſque diem majorem millies animarum numerum, quàm ille recenſuerit, deſtruxerunt, & minore Dei, & Regis timore, minorique miſericordia partem maximam generis humani deleverunt, atque in his regionibus ultra quatuor hominum milliones violenta morte affecerant.

Paucis poſt diebus jaculati ſunt telis arundineis, potentem Reginam uxorem Elingui, penes quem adhuc hodie illius Regni Imperium verſatur, quem Hiſpani cum capere vellent, ad rebellionem concitarunt, & rebellis manet. Reginam illius conjugem ceperunt, & contra omne jus, & rectum, illam, quæ, ut ferebatur, erat gravida, dicto modo, cæde mulctarunt, in id tantum, ut moleſtiam marito parerent. Si particulatim cædes, & crudelitates, quæ commiſſæ ſunt, & adhuc hodie patrantur in Peruſia ditione, nobis recenſendæ eſſent, procul dubio tam ſtupendæ, & tanto in numero invenirentur, ut illis, omnia, quæ de reliquis Indiæ partibus diximus, & gravitate, & numero cederent.

De novo Regno Granatæ.

Ao. milleſimo quingenteſ. trigeſ. nono multi tyranni Venecuela, S. Martha & Carthagena ſolventes ad conquiſitionem Peruſii concurrebant, & cùm multi alii ex eadem regione, ulterius progredientes, hanc penetrare conarentur, trecentis à Carthagena, & Sancta Martha milliaribus provincias admirandas, terras fertiliſſimas, populo, ut reliquiæ Indiæ partes, clementiſſimo inſtructas, & auri gemmarumque quæ Smaragdi appellantur, ditiſſimas, invenere. Quibus provinciis nomen novi Regni Granatæ impoſuerunt, quia tyrannus, qui primus in has regiones appulit ex Regno Granatenſi, quod eſt in his partibus, ortum ducebat. Et quia illi, qui eas provincias deprædabantur, erant viri iniqui, & crudeles, inſignes laniones, & ſanguinis humani profuſores, qui tantorum ſcelerum, quæ in Indiis patrata ſunt, uſum habebant,

bebant, & experientiam, idcirco diabolici illorum actus tanti sunt, & tanto in numero, & circumstantiis tam graves redduntur, & horrendi, ut omnia facinora, quæ ab alliis, & ab ipsismet in aliis regionibus patrata sunt, superent. Aliqua eorum ex infinito numero selecta, quæ his tribus annis patrarunt, recensebo, & seligam. Quidam gubernator, quod ille, qui novo Granatæ regno deprædabatur, eum depræ-dationum, & cædium socium admittere nollet, inquisitiones & probationes, multis testibus confirmatas confecit, quibus probat cædes, & homicida, quæ ille commisit, & in quibus committendis usque in præsentem diem perseverat, quæ in Consilio Indiæ lectæ sunt, & hodiè adhuc asservantur.

In dicta inquisitione testes deponunt, cum omnia hæc regna pacifica essent, Indiis Hispanos inserviviſse, & continuo suo labore in terris colendis vitam quæsiviſse, illis multum auri, & gemmarum, ut sunt Smaragdi, & eorum, quæ poterant & habebant, adferentes, urbibus, & dominationibus inter Hispanos divisis, in quibus obtinendis, vel maximè studeant, est enim commodus modus scopum, quem sibi habent propositum, nempe aurum, attingendi.

Cum autem omnes Indiani in tyrannide consueta essent constituti: Tyrannus, præcipuus Capitaneus, Regem, & Dominum totius regionis cepit, eumque per sex, vel septem menses captivum detinuit, ab eo, sine ulla ratione, aurum, & Smaragdos petens. Dictus Rex, cui nomen erat Bogata, timore ductus, domum auream se daturum promisit, sperans se illius manus à quo affligebatur, evasurum, misitque Indianos, qui aurum adferrent, & sæpè, & repetitò magna auri, gemmarumque copia allata est. Sed quia Rex domum auream non dabat, Hispani dicebant eum, cum promissis non staret, interimi debere: Jussit tyrannus, ut coram se ipso in judicium vocaretur, & ita illi citant, & in jus vocant maximum totius regionis regem: tyrannus fert sententiam, ut tormentis affligeretur, nisi domum auream daret. Illum torquent, in ventrem sapum fervens injiciunt, illius pedibus palo alligatus cathenas imponunt, alteri palo, collum ligant, & duo viri eius manus tenent, & sic ignem pedibus apponunt: & tyrannus sæpè accedens illi mortem minabatur, nisi aurum tràderet: & ita his tormentis dictum Dominum confecit: quæ dum inferuntur, Deus ostendere volens, has sibi crudelitates displicere, omnis urbs in qua committebantur, incendio absumpta est. Reliqui Hispani Capitanei sui vestigiis insistere volentes, cum nullam aliam artem callerent, quàm eam, qua corpora membratim discerpuntur, eadem facinora patrarunt diversis, & horrendis tormentis Cacicos cum omnibus subditis qui se illorum fidei commiserant, affligentes, cùm tamen omnes dynastæ, cum subditis maximi auri, & Smaragdorum donis eos afficerent. Eos autem ob hanc



ob hanc ſolam cauſam torquebant, ut majorem auri vim, & gemmarum copiam obtinerent, & ſic omnes illius regionis Domini, flammis, & incendio abſumpti, perierunt. Aliquando etiam accidit, ut multi Indii accederent, ut Hiſpanis omni humilitate, & ſimplicitate, ſicuti ſolent, inſerv irent, qui cum ſe tutos exiſtimarent, ecce Capitaneus ad eam urbem, in qua ſerviebat, advenit, qui juſſit hos omnes Indianos poſt cœnam, cum dormientes nimio diei labore defatigati, quieſcerent, gladiis perimi, & neci dedi. Hanc autem ſtragem eo conſilio edidit, ut timorem ſui, omnium huius regionis incolarum animis imprimeret. Semel capitaneus juſſit, ut Hiſpani juramento affirmarent, quot Cacicos, & Indianos eorum unuſquisque domi in ſuo famulitio haberet, & ſtatim in locum publicum adducerentur, capiteque plecterentur, atque ita quadringenti, vel quingenti homines necati ſunt. Teſtes hoc de particulari quodam tyranno deponunt. quod cædendo, manuſque & naſum multis cum viris, tum fœminis abſcindendo, & multos deſtruendo, maximas, & horrendas crudilitates exercuerit.

Alio etiam tempore hoc accidit, ut Capitaneus eundem crudelem tyranum in provinciam Bogatæ miſerit, ut inquireret, quisnam in illa provincia Principi, quem crudeliter, & inhumane vita privarat, ſucceſiſſet, qui multa hujus regionis milliaria peragrans, quot potuit, Indianos cepit, quorum aliqui, quòd non dicerent, quisnam eſſet defuncti ſucceſſor, manibus truncati, alii verò famelicis canibus expoſiti, in fruſta diſcerpti ſunt : & hoc modo multis Indianis uſuram lucis eripuit, & infinitis damnis affecit.

Quadam autem die, circa quartam noctis vigiliam in multos Cacicos, Satrapas, & alios Indianos irruit, qui tamen ſe ſatis tutos exiſtimabant (fides enim, & ſecuritas illis data erat, ſe nullam injuriam, aut damnum recepturos) qua fide nitentes, ex montibus, in quibus latebant ad urbes, ſine ulla ſuſpicione, aut timore, revertebantur, quos omnes cepit, & manus in terram extendere jubens, ipſemet enſe proprio illis abſcindebat, ſe eos caſtigare dicens, quod Dominum, qui Regno ſucceſſerat, indicare nollent.

Alia vice, quòd Indiani ciſtam aureo plenam, ut Capitaneus petierat, non darent, copias miſit, quæ in illos bella moverent, ubi infinitis



infinitis mortem intulerunt, & tam multos, cum viros, tum fœminas, manibus, & naſo truncarunt, ut numerus recenſeri vix poſſit : alios famelicis, & carne nutritis objecerunt canibus, qui ab iis ſtatim devorati ſunt.

Aliquando cuiusdam huius provinciæ incolæ cernentes, quatuor vel quinque ex præcipuis ſuis dynaſtis igne ſublatos eſſe, timore perculſi

perculsi, in montem se receperunt, quo contra tam inhumanos hostes se tuerentur, & defenderent : aderant, ut testibus probatum est, quatuor, vel quinque Indianorum millia. Supradictus Capitaneus ad eos insignem tyrannum, qui inhumanior, & crudelior cæteris erat, cum certo Hispanorum numero misit, ut rebelles Indianos, qui tantas strages evitabant, & fugiebant, ac si aliquid illiciti perpetrassent, persequerentur, & castigarent, quasi ad eos castigatio, & vindicta pertineret, qui ipsemet omnibus tormentis, sine ulla misericordia, à qua hos miseros tam crudeliter tractantes, omnino alienos se præbent, digni sunt. Hispani montem vi (Indii n. nudi erant, & inermes) conscendunt, se pacem quærere, modò ipsi ad arma non concurrerent, proclamantes. Indii hoc audito, statim ab armis discedunt, quod cernens vir crudelissimus, Hispanos misit, qui montis propugnacula occuparent, & iis occupatis Indios aggrederentur. In hos ergo, tanquam lupi, & leones in agnorum gregem irruunt, & cædendo ita defatigati sunt, ut animos recipere coacti fuerint, quibus receptis Capitaneus jussit, ut denuo cæderent, & ex summo montis, qui erat miræ altitudinis, fastigio, omnes, qui vitæ superfuerant, præcipitarent, quod & factum est. Et testes deponunt se vidisse, tanquam nubem, septingentorum Indianorum simul, monte decidentium, qui omnes concassabantur, & & peribant.

Et ut omni ex patte crudelitatem suam compleret, Indios, qui inter dumeta se absconderant, conquiri jussit, & ensium mucronibus perimi, qui hoc modo cæsi è monte præcipitabantur. Nec his tam crudelibus facinoribus contentus, ut magis innotesceret, & horribilia eius scelera incrementum caperent, præcepit, ut omnes Indii, qui à quibusdam particularibus morte erepti erant (ut in huiusmodi cædibus quisque sibi aliquos cum masculos, tum fœminas, & pueros ad servitia reservare, & ita conservare solet) in straminea domo collocarentur, exceptis & reservatis iis, qui sibi ad serviendum magis idonei videbantur ignisque in eam conjiceretur, & ita quadraginta vel quinquaginta vivi combusti sunt, & flammis absumpti.

Idem tyrannus ad urbem Cotam, quandoque accessit, ubi infinitum hominum numerum cepit, & quindecim, vel viginti dynastas, ex præcipuis, canibus membratim discerpendos objecit, multisque viris, & fœminis manus præscidit, quas pertica trajciens omnibus Indiis spectandas, & videndas præbebat : ibi autem septuaginta manuum paria

paria, perticis trajecta cernebantur. Hoc addendum, quòd multis cum infantibus, tum fœminis nasum præsciderit.

Nequitias, & crudelitates huius viri, Dei hostis, recensere nullus posset, innumeræ enim sunt, & antehac nec auditæ, nec visæ, eæ verò præcipuè, quas in Guatimala regione communisit, quibus, nec alibi patratæ multum cedunt : nam abhinc multis annis, solam artem hos populos destruendi, & comburendi exercet.

Testes præterea hoc addunt, crudelitates & strages in dicto novo Granatæ regno patratas, ab eodem Capitaneo, & aliis tyrannis, devastatoribus, & extirpatoribus generis humani, qui cum eo sunt, & quibus potestatem concedit adhuc hodie easdem exercendi, tales tantosque esse, ut si opportunè sua Majestas non medeatur, & remedia adhibeat (cum cædes Indiorum solius auri obtinendi gratia, quo carent, nam quod habebant jam illis traditum est, fiant) brevi dictum Regnum destruetur, & in totum desolabitur, atque ita terra, Indiis, qui eam colant, deficientibus, inculta jacebit.

Hoc loco pestilentialis, & inhumana horum tyrannorum crudelitatis notanda est, & quàm violenta extitetit, cum spatio duorum, vel trium annorum (ab eo enim tempore hoc Regnum detectum est, quod omnibus orbis regionibus populi multitudine præstabat, omnium, qui viderunt testimonio) omnibus cæsis, desolatum sit, & expopulatum, se tam alienos ab omni misericordia, & timore Dei, & Regis præbentes ut scribatur, ne unicum hominem vitæ superfuturum, nisi sua Majestas tantarum crudelitatum cursum retardet : quod equidem facilè credo, hisce enim oculis vidi in iisdem partibus, pancis diebus maxima Regna expopulata, & desolata. Aliæ sunt amplæ provinciæ novo Granatæ regno confines, quæ appellantur Popayan, & Cali, & tres vel quatuor aliæ, quæ ultra quingentorum milliarium longitudinem extenduntur, quas eodem modo, quo & alias, destruxerunt, & ad extremam desolationem cædibus supradictis perduxerunt, quarum populus erat infinitus, & terra fertilitate insignis. Qui ex iisdem regionibus reversi, ad nos pervenerunt, narrant nihil tristius, aut commiseratione dignius, quàm tantas & tam amplas urbes funditus deletas, in cineribus jacentes cernere, eiusque urbis, quæ mille vel duo millia ædium capetet, vix quinquaginta, reliquis radicitus evulsis, vel incendio consumptis restare : & in quibusdam partibus aliquas regiones in centum milliaria

milliaria patentes, & in iis ampliſſimas urbes, omninò deſtructas, & combuſtas inveniſſe.

Ad extremum ex regnis Peruſii per Quitonios multi, & maximi tyranni ſe contulerunt in dictum Regnum novum Granatæ, & Popayani, & per Carthagenios, & Urabas Califium petierunt, atque etiam alii tyranni Carthagenenſes, Quitonium aggreſſi ſunt. Qui omnes ſe coujunxerunt, & ultra ſexcenta regionis milliaria, cum damno infinitarum animarum expopulati ſunt, & extrema deſolatione affecerunt: neque verò adhuc hodie tanti populi innocentis reliquiis, humaniores ſe præbent.

Et ita regula, quæ à me in principio poſita eſt, confirmatur, nempe tyrannidem, violentiam, & crudelitatem Hiſpanorum in hos agnos, tempore augumentum, & incrementum cepiſſe, Inter alia verò omni igne, & tormentis digna, quæ hac tempeſtate in illis regionibus patrantur, ſcelera, quod ſequitur, auditu non eſt dignum.

Cædibus, & crudelitatibus bellorum peractis, in ſervitutem infernorum Dominorum, quibus dantur, quandoque ducenti, & aliquando trecenti, rediguntur, & tyrannus Dominus jubet, ut ad ſe centum Indiani, qui ut agni accedunt,adducantur, quorum triginta vel quadraginta capite plectit, aliis præſentibus hoc utens ſermone: Idem vobis fiet, ſi mihi benè non inſerviatis, vel ſi indicta venia diſcedatis.

Conſiderent rogo, qui hæc legunt, vel lecturi ſunt, an non hic actus tam horribilis, crudelis, & inhumanus, omnem iniquitatem, vel crudelitatem, quàm imaginatione complecti poſſemus, ſuperet, & vincat, & an immeritò tales Hiſpani diaboli vocentur. Quodnam enim eſt conſultius Indianos diabolis committere, vel Hiſpanis?

Neque hic etiam quoddam facinus (utrum brutorum animalium crudelitati poſtponi debeat, neſcio) ſilentio involvam. Hiſpani, qui in Indiis verſantur, crudeliſſimos canes alunt, ita inſtructos, & edoctos, ut in Indianos ruant, & ſtatim eos devorent, membratimque diſcerpant. Omnes jam ſive Chriſtiani ſint, ſive non, conſiderent, utrum tale quidquam unquam auditum ſit, eos canes quocunque proficiſcuntur, itineris comites aſſumunt, & cum illis multos Indianos cathenis vinctos, quos tanquam porcos ad eorum victum necant, carnis humanæ lanienam habentes. Et ſibi invicem dicunt: Da mihi commodato

dato quartam partem unius vellaconis pro canibus meis, ubi unum occidero, tibi raſtituam, non ſecus ac ſi fruſtum proci, vel agni acciperent. Alii manè cum canibus venatum proficiſcuntur, quibus reverſis, ſi petatur: Quàm felix venationis ſucceſſus? ſatis velix reſpondent, mei canes quindecim, vel viginti vellacones interemerunt. Hæc omnia iis inquiſitionibus quas tyranni in tyrannos fecere, probata ſunt. Quid precor, aut horribilius, aut crudelius?

Sed deſiſtam, quouſque nequitiarum majorum (ſi tamen graviores eſſe poſſunt) nuntius advenerit, vel certè, quouſque denuò ad eas cernendas accedamus, quas olim ſpatio quadraginta duorum annorum, propriis oculis vidimus. Ad extremum in conſcientia, & coram Deo proteſtor damna eſſe tam magnæ deſtructiones,urbium ſubxerſiones, cædes, & crudelitates tam horribiles, violentias, & iniquitates tam inhumanas, & furta tam ſcelerata (quæ omnia in illis regionibus & contra hanc gentem patrata ſunt, & adhuc hodie committuntur, ut in iis, quæ ſcripſi, recenſui, & ſuis coloribus, quo melius potui, depinxi, ne ex milleſima parte. unicam, ſive ad qualitatem attendatur, ſive ad quantitatem, explicaſſe.

Atque ut omnes Chriſtiani majori compaſſione, & miſericordia, in hos innocentes ferantur, & magis illorum perditionem deplorent, & avaritiam, ambitionem, crudelitatemque Hiſpanorum deteſtentur, cum iis, quæ ſuperius dicta ſunt, hoc etiam firmiſſimè, & veriſſimè teneant, ab eo tempore, quo America detecta eſt, uſque in præſentem diem, Indianos, quouſque primi proditi, multis damnis & injuriis affecti ſunt, nulla injuria ullo in loco Hiſpanos affeciſſe, immò eos tanquam immortales coluiſſe, è cœlo delapſos exiſtimantes, quouſque apertè, quinam eſſent, & quid peterent, prodiderunt.

Hoc præterea addam à principio uſque in hunc diem, non magis ſollicitos Hiſpanos fuiſſe, ut his gentibus Euangelium Chriſti annunciaretur, quàm ſi canes, aut beſtiæ fuiſſent, ſed quod pejus eſt, eos religioſis expreſsè prohibuiſſe, multas afflictiones, & perſecutiones illis imponentes, nec concionibus, & prædicationibus vacarent, illud enim impedimento eſſe ad aurum comparandum, & divitias acquirendas, quas illis avaritia proponebat exiſtimabant. Nec majorem adepti ſunt Dei cognitionem, utrum ſcilicet Deus ligneus ſit vel æreus, vel terreus, quam ante centum annos habuerint, dempta Hiſpania nova, quæ

est Americæ particula, quam religiosi profecti sunt, & ita sine fide, & Sacramentis perierunt, & adhuc hodie pereunt.

Ego frater Bartholomæus de las casas, vel casaus religiosus Ordinis S. Dominici, qui Dei misericordia, ad hanc aulam Hispaniæ inferorum ex Indiis expulsionem desiderans, me contuli, timens, ne animæ Christi pretioso sanguine redemptæ pereant, sed toto corde desiderans, ut creatorem suum agnoscant, & salventur: propter curam etiam, & compassionem, qua in patriam meam, quæ est Castella afficior, timens ne eam Deus destruat, propter magna peccata contra fidem, honorem, & proximos, ab illius natis, & liberis patrata: aliquorum magni nominis virorum, qui in hac aula versantur, & qui honoris Dei ferventes zelatores existunt, & tantis calamitatibus, & afflictionibus proximorum commoventur (quamvis idem facere decrevissem, & jamdudum proposuissem, tamen multis, & continuis occupationibus distractus, nondum vacarat) huic tractatui, & summario, finem imposui Valentiæ 8. Decem. Anno 1542. cum ad extremum violentiarum, oppressionum, tyrannidum, desolationum, tormentorum, & supradictarum omnium regionum Americæ, in quibus vivunt Hispani; calamitatum, gradum, de venissent (quamvis in alia parte magis, in alia minus credeles existant) Mexiconem, cum confiniis meliorem, quæ reliquæ provinciæ tractationem recipit. Certè injurias apertè, & palam inferre nullus auderet, ibi enim est aliqua, quæ nullibi locorum in Indiis regnat, quantumvis exigua, justitia, quamvis immensis tributis graventur. Firmam spem habeo Dominum Carolum V. Imperatorem, & Regem Hispaniæ Dominum, & Principem nostrum, cujus aures pervenire incipiunt nequitiæ, & proditiones, quæ commissæ sunt, & committuntur contra miseram hanc gentem, & afflictas has regiones contra Dei voluntatem, & suam (huc usque enim veritas illi celata, & occulta est, non minus astutè, quàm callidè, & malitiosè) tanta malorum genera extirpaturum, & radicitus evulsurum, atque novo huic mundo, qui à Deo illi, tanquam justitiæ amatori, & cultori traditus est remedia morbo congruentia daturum. In sua gloria, felici vita, & statu imperiali Deus eum conservet, & prospera omnia tribuat, ut Ecclesiæ universali medeatur, & salutem ejus Regiæ animæ concedat, Amen.

Postquam hæc scriptis redegissem, certæ leges, & constitutiones à sua Majestate tunc temporis factæ Barcelonæ Anno millesimo quingentesimo

gentesimo quadragesimosecundo, mense Decembri, & in urbe Maderæ anno sequenti, promulgatæ sunt, & publicatæ, quibus constitutionibus ita provisum est, ut pro tempore conveniens videbatur, ut tantis nequitiis, & peccatis, quæ in Deum, & proximum committebantur, & ad omnimodam hujus novi mundi ruinam, & perditionem tendebant, finis imponeretur. Has leges sua Majestas congregatis plurimis, virorum maxima authoritate, litteris, & conscientia præditorum, & dotatorum conciliis, promulgavit, & disputationibus Valadolidæ de ea re habitis, denique communi consensu; & consilio omnium eorum, qui sententias suas scriptis redegerunt, editæ sunt: qui quidem, magis ad regulas Christi accedere, verique Christiani, & omnis corruptionis, & maculæ thesaurorum, Indianis furto, & latrocinio sublatorum, puri, immunes, & innocentes judicati sunt, qui thesauri manus, & multò magis animas eorum, in quos dicti thesauri, & avaritia Imperium exercebant (unde illa cœcitas causa tantorum malorum, sine ullis conscientiæ stimulis patratorum, ortum ducit) contaminarunt.

His legibus ita promulgatis tyrannorum creatores, qui tunc in aula versabantur, varia diplomata describi curarunt (illi enim maximè dolebant, cùm cernerent ad dictam prædam & extorsiones dicta tyrannide factas aditum non patere amplius) & ad diversas Indiæ provincias miserunt. Illi, quibus cura, & onus extirpandi, & diversa tyrannide opprimendi incumbebat, ut nullam unquam observaverant ordinem, sed maxima semper inordinatione se gesserant, his lectis diplomatibus, antequam novi judices, qui mandata executioni mandare debebant, advenissent, aut appulissent, eorum opera (ut dicitur, nec veritati repugnari videtur) qui huc usque eorum peccatis, & violentiis faverant, cognoscentes dictas leges & promulgationes, effectum sortiri debere, ad seditionem commoti sunt, & rebellarunt, cumque judices, qui mandata executioni mandare debebant, advenissent, remoto omni amore, & timore Dei, non sunt etiam veriti, omnem reverentiam, & obedientiam, quam Regi debebant contemnere, & flocci facere, atque ita proditorum nomen assumpserunt, se, ut crudelissimos tyrannos ab omni humanitate alienos gerentes.

Præcipuè verò in Regnis Perusii, ubi Anno 1542. facinora tam horrenda, & stupenda committunt, ut similia nunquam nec in Indiis, nec in toto orbe audita sint: neque verò solùm in Indianos, quos

ferè omnes vitæ usura privarant, hæc exercent, sed etiam in seipsos, permittens Deus, justo suo judicio, ut sibi ipsis carnifices existant, & sua tela in propria viscera convertant. Horum rebellium favore reliquæ novi hujus mundi partes legibus parere recusarunt. Et reliqui suæ Majestati preces fundere, fingentes, ipsimet rebellarunt : ægrè enim status, & bona, quæ usurparunt, dimittunt, nec libenter Indianorum, quos in perpetua captivitate tenent, vinctas manus solvunt : & ubi gladiis neci dedere cessant, paulatim servitutibus personalibus, oneribusque injustis, & intolerabilibes, opprimunt. Quod huc usque Rex impedire, aut avertere non potuit, quia omnes, tam potentes, quàm humilis conditionis, homines, alii quidem plus, alii minus, alii publicè, & palam, alii clam, & secreto latrociniis dediti sunt, & sub prætextu Regis inserviendi Deum dedecorant, & Regi furantur.

Quod sequitur, pars est epistolæ, quæ à quodam, qui his peregrinationibus adfuit scripta est, in qua recenset, quæ à quodam Capitaneo, in illis regionibus, quas pertransiit, patrata sunt. Et quia dicta epistola, cum aliis chartis compingenda, & liganda tradita erat, compactor aliquot folia perdidit, quibus stupenda, quæ ab aliquo etiam qui adfuerat acceperam, continebantur: Quod jam vobis proponam, sine principio, & sine imperfectum tradant, quia autem, quæ supererat particula, multa notatu digna continebat, consultum mihi visum est, ut typis mandaretur, omnino confident ea V. Celsitudini non minus compassionis, & horroris, quàm, quæ supra dicta sunt, & per consequens, maximum medendi desiderium, paritura.

LITTERÆ.

UT cathenis vincirentur, & in servitutem, redigerentur, permisit, quod & factum est, & Capiteneus multas horum hominum medendi cathenis vinctorum, turbas secum ducebat, quo actu ut regio augeretur (ut decebat) non procurabat, cumque Indiis, omnes, quos habebant victus prædaretur, naturales regionis incolæ ad tantam necessitatem

tatem redacti sunt, ut multi, in itinere fame motui reperirenturt Indiorum etiam ad littus maris Hispanorum onera, & impedimenta ferentium, ultra decem millia perierunt. Nullus enim vivus, propter nimium regionis æstum, à littore recedebat.

Postea verò vestigiis Joannis Ampudiæ insistens, Indios, quos ex Quitonia provincia, adduxerat, itinere unius diei præmittebat, ut pagos detegerent, & prædarentur, atque ita parata præda esset, cum, suis comitatus, accederet, (isti autem Indiani ad ipsum & socios pertinebant, quorum aliqui ducentos, aliqui trecentos, alii plus, alii minus, habebant secundam uniuscujusque onera, & impedimenta) qui Indiani ad Dominos, cum iis, quæ deprædati fuerant, se recipiebant. In quo agendo maximas crudelitates, in pueros, & fœminas exercebat : in Quitonia regione eadem ratione processit, omnem regionem incendio vastans, & granaria, in quibus dynastæ Mahiden suum, id est frumentum, asservabant, comburens. Maxima, ut fierent damna in ovium cæde, permisit, quibus & Hispani, & naturales Incolæ vivebant. Et ad solum cerebrum, & sebum obtinendum permisit, ultra ducentas, & trecentas oves cædi, quarum caro nulli erat usui. Cum autem multi Indii Hispanorum amici, & confœderati, eos sequerentur, ut agnorum corda comederent, eorum miram stragem ediderunt, ob id tantùm, quòd reliquas partes non comederent. Et eorum duo, in provincia Purua, vigintiguinque agnos, qui inter Hispanos vigintiquinque coronatis vendebantur, ad solum cerebrum & sebum obtinendum, occiderunt. Et ita inordinato hoc pecorum cædendorum excessu, ultra centum millia pecorum capita perierunt. Qua de causa regio in maximam penuriam incidit, & ejus incolæ fame miserè peribant. Et provincia Quito, quæ tanta frumenti copia abundabat, ut dici vix possit, hoc procedendi modo tali fame pressa est, ut frumenti sextarius decem coronatis venderetur, & unus agnus totidem.

Dictus Capitaneus ex littore reversus, Quitone discedere, & Capitaneo Joanni de Ampudia se conjungere decrevit, & deliberavit; quod ut faceret, ultra ducentos, cum equites, tum pedites, conspiri, inter quos multi erant urbis Quitoniæ cives, quibus concessit, & permisit, ut secum Cacicos, qui sorte illis dati fuerant, & Indianos, quotquot vellent, assumerent, & ducerent, quod fecerunt : quidam Alfonsus Sanches Nuyta Cacicum suum, cum centum Indianis, & ultra, cum

uxoribus deduxit, quem comitatus est Petrus Cobo, cum cognato, ultra centum quinquaginta, unà cum conjugibus ducens, quorum plurimi liberos secum, ne fame perirent, assumebant.

Moram etiam Popayani civis, ultra ducentas personas secum assumpsit, idemque fecerunt omnes cives, & milites, quisque secundum facultates, qui sibi concedi postularunt, Indianos & Indianas incaptivitatem redigendi, quod illis ad mortem usque concessum est, ut illis mortuis idem de aliis fieret : nam quod Indii subditi, & vasalli essent suæ Majestatis, idem Hispanis, cum illis erat commune, qui tamen eadem mortis pericula subibant.

Atque hoc modo hic Capitaneus Quitone discedens in urbem Octabam, quæ illi sorte contigerat, se recepit, & à Cacico petiit, ut sibi quingenti homines traderentur, quos ad bellum duceret qui illi, cum quibusdam magni nominis viris, dati sunt. Aliquam horum hominum partem militibus suis divisit, & reliquos secum duxit, aliquos quidem oneratos, alios cathenis vinctos, alios verò solutos, ut illis inservirent, & cibaria ferrent. Et hoc modo cathenis, & chordis ligati, ducti sunt. Illi Quitonia provincia discedentes, ultra sex millia Indianorum deduxerunt, quorum vix viginti in regionem suam revetsi sunt maximis enim, & crudelibus tormentis, quibus in calidis, & ardentibus illis regionibus cruciabantur, perierunt.

Eodem tempore accidit, ut quidam Alfonsus Sanchesius à dicto Capitaneo alicui turmæ præfectus sit, qui aliquot fœminas, & pueros cibis oneratos, offendit, à quibus expectatus est, ut illi eorum, quæ habebant, aliquid impartirentur : sed hic Capitaneus jussit, ut omnes ensibus cæderentur. Et hic res mira accidit : cùm miles quidam Indianam percuteret, ejus ensis primo ictu medius fractus est, secundo sola capula illi in manu remansit, nec Indiana læsa est, aut vulnerata. Et cum alius miles pugione quadrato Indianam percuteret, pugio, quatuor digitorum longitudine, primo ictu fractus est, & secundo sola illi capula in manu remansit.

Circa idem tempus Capitaneus Quitone discessit, & abduxit maximum naturalium incolarum numerum, quorum matrimonia solvens, & separans, juniores fœminas Indiis, quos ducebat, seniores verò reliquis, qui in urbe remanebant, dividebat & distribuebat. Eum Quitone discedentem mulier magnis clamoribus persecuta est, orans, & obtestans

testans, ne maritum suum deduceret, se enim tribus infantibus oneratam, eorum victui necessaria suppeditare non posse, sed fame perituros, cumque Capitaneus eam primo applausu satis iracundè repulisset, secundo duplicatis clamoribus, accessit, dicens, natos suos nimia fame pressos perire : cùm autem videret non moveri Capitaneum, nec sibi maritum restitui, puerorum capita lapidibus elidens, eos interfecit.

Eodem autem tempore, quo in urbem Palonem Provinciæ Lilianæ appulit, Capitaneum Joannem de Ampudia offendit, qui ad detegendam & pacificandam regionem præcesserat, qui tunc urbi (ab eo præsidiario milite Majestatis suæ, & Marquionis Francisci de Piarro nomine munita) præsidebat, cui Petrum Solanum de Quennonibus cum octo consiliariis, præfecerat, & reliquam regionem, quæ pace fruebatur, divisérat. Cum autem dictum Capitaneum appulisse intellexisset, illius invisendi gratia, cum multis incolis & pacificis Indianis, victu, & fructibus oneratis accessit : quem postea multi Indiani vicini cibaria apportantes, secuti sunt : aderant incolæ Xamundiæ, Paloniæ, Salimaniæ, & Boloniæ : cumque tantam frumenti copiam, quantam petiisset, non attulissent, magnum Hispanorum numerum cum suis Indianis misit, ut frumentum conquirerent, & jussit, ut ubicunque inveniretur, adferrent. Et ita Boloniam, & Paloniam se contulerunt, ubi Indianos in suis ædibus pacificè viventes, invenerunt. Hispani verò, & eorum comites, eis frumenta, aurum, tegmenta, omnia denique, quæ habebant, furati sunt, plurimosque ligarunt. Indii se tam mala tractatione affici cernentes, ad dictum Capitaneum accesserunt, petentes, ut quidquid sublatum esset, restitueretur, qui nihil quidem restituere voluit, sed suos non reversuros promisit. Præteritis tamen quatuor, vel quinque diebus iterum Hispani ad frumenta revertuntur, & Indios naturales, ut antea, deprædantur. Quare videntes Capitaneum promissis non stare, omnis regio contra Hispanos commota est, & rebellavit, unde maxima damna provenerunt, & graviter Dei, Regisque Majestas offensa est, & ita populo, & habitatore deserta hæc regio remansit : Olimasii enim, & Mantiposii, cum cernerent eorum urbes, & habitationis loca deseri, singulis diebus è montibus descendebant, & deprædabantur, inter quos qui fortior erat debiliorem comedebat, hæc enim gens montana est, & bellicosa, dictoque populo infesta, & inimica. Hoc facto dictus dux ad Ampudiæ urbem se contulit, in qua, ut Capitaneus generalis receptus

est, &

eſt, & inde Lilium, & Petinium verſus ducentis, vel circiter, tam peditibus, quàm equitibus, comitatus, iter ſuſcepit.

Peractis his omnibus dictus gubernator Capitaneos ſuos, qui cruenta bella Indianis inferrent, miſit, qui diverſis ædium incendiis, & bonorum deprædationibus maximum Indianorum numerum, vitæ lumine privarunt, quod per multos dies continuatum eſt. Regionis huius Domini, cum ita deſtruerentur, & affligerentur, Indianos pacificos, cum cibariis ad eos mittebant. Poſtea verò, cum omnibus Indiis, quos Liliæ Hiſpani ceperant, neque enim unicus relaxatus, aut dimiſſus fuerat, Yceam verſus ſe contulit, ad quam vix applùſus Hiſpanos diripere, & Indianos, quotquot poſſent, cædere juſſit, multasque domos incendio conſumere, atque ita ultra centum igne, & flammis abſumptæ ſunt. Inde ad aliæ urbis, quæ Tulilicui appellabatur, iter ſe accinxit, cuius Cacicus ſtatim in pace multis Indianis comitatus obviam illi proceſſit. Capitaneus ab eo, & ſubditis aurum petiit, qui ſe modicum habere reſpondit, ſed tamen, omne, quod haberet, daturum, quo dicto, omnes, quidquid habuerunt, & potuerunt, dederunt. Quorum unicuique chirographum, in auri dati teſtimonium dedit, dicens eum, qui hoc chirogtapho deſtitutus reperiretur, canibus, ut devoraretur, inſignum auri non dati, expoſiturum iri. Atque ita timore perculſi Indiani, quantum auri potuerunt, dederunt, illi verò, quibus deerat, vitandæ mortis cauſa ad montes, & alias urbes confugerunt: quamobrem magnus Indianorum numerus ſublatus eſt. Paulo poſt in mandatis dedit Cacico, ut duos Indianos ad urbem Daguam mitteret, qui ſignificarent, ut in pace illius habitatores accederent, & maxima auri pondera adferrent. Hoc facto ad aliam urbem accedens, Hiſpanos eadem nocte miſit, ut Indios, & Tulilicuenſes caperent, qui ſequenti die ultra centum perſonas adduxerunt, quorum aliquos, qui ferendis oneribus idonei judicabantur, ſibi, & ſuis militibus reſervavit, aliquos verò cathenis devinciit, in quibus omnes interciderunt. Parvos autem infantes dicto Cacico Tulilicuenſi devorandos dedit, quorum cutes cineribus repletæ adhuc hodie in eius ædibus viſuntur: & ita hanc urbem ſine interprete reliquit, ſeque verſus provincias Calilienſes contulit, ubi capitaneo Joanni de Ampudia qui ad aliam viam detegendam miſſus erat ſe conjunxit, relinquens utrque in iis tegionibus per quas iter ſuſceperant, ſuæ crudelitatis æterna veſtigia. Dictus autem de Ampudia quandam urbem acceſſit, cuius Dominus

Dominus Bitacon nomine, certas foſſas, ſe defendendi gratia, fieri curaverat, in quas duo equi, quorum alter Antonii Redondonis, alter verò Marci Narqueſii, deciderunt, poſterioris equus mortuus eſt, prioris verò, vivis ſuperfuit. Quocirca dictus de Ampudia præcepit, ut quotquot occurrerent Indiani, caperentur: & ita ultra trecentos Indianos captos in has foſſas conjecere, & centum ædes circiter, incendio conſumpſere. Paulò poſt ſimul, in ampla quadam urbe convenerunt, ubi Indiis non vocatis, nec ullum interpretem habentes, quo cum illis colloquerentur, lanceis maximum eorum numerum delevere. Et quamprimum, ut dictum eſt, ſe conjunxerunt, dictus Ampudia Capitaneo narravit, quomodo ſe Bitaconiæ geſſiſſet, & quam multos in foſſas conjeciſſet, cui Capitaneus reſpondit probè rem eſſe geſtam, ſe etiam primo ad fluvium Bambam, qui Quitoniam provinciam præterfluit, adventu, eodem mortis genere, ultra ducentis Solis lucem eripuiſſe: atque ita toti regioni ſimul bella movere cœperunt. Quibus ſimul geſtis, alter provincias Birumiæ, vel Anzermæ, intravit, atque in illis crudeliſſima bella, uſque ad caſas ſalis, geſſit. Poſtea Franciſcum Garciam, ut prædaretur, præmiſit, à quo naturales incolæ maximis damnis, & injuriis affecti ſunt. Indiani bini accedebant, ſignis pacem pro tota regione, ſe petere, & efflagitare demonſtrantes, ſeque illis, quidquid peterent, vel fœminas, modo vitæ parceretur, daturos, & allaturos, quod & verum erat, ut ipſimet poſtea confeſſi ſunt. Franciſcus Garcia aliud reſponſum illis non dedit, niſi, ut diſcederent, ſe Baccho nimium indulſiſſe, uec percipere, quæ dicerent. Atque ita ad Capitaneum reverſus ad excurrendam totam provinciam, & bella naturalibus regionis incolis, furtis, latrociniis, deprædationibus, cædibus, inferenda, acceſſerunt, & ex ea regione ultra duo millia hominum exprompſerunt, qui omnes poſtea in cathenis morte abſumpti ſunt. Denique antequam loco cederent, ultra quingentos homines, violenta morte exceperunt.

Rebus ita benè geſtis in provinciam Calilienſem, pedem retulit. Si verò in itinere Indiani aliqui deficerent, enſium mucronibus morti dabantur, vel certè caput, ne in aperiendis cathenis nimium labor eſſet, amputabat, ne etiam reliqui morbum ſimularent, & his modis omnes perierunt, neque ex iis omnibus, quos ex Quitonia, Paſtonia, Quilla, Cangapatra, Popayania, Lilia, Caliſia, & Anzerma deprompſerat, ullus vitæ ſuperfuit. Reverſi autem, cum urbem magnam ingrede-

grederentur, quotquot potuerunt, occiderunt, illaque ipsa die trecentos captivos ceperunt.

Misit ex dicta provincia Liliæ Capitaneum Joannem de Ampudia, cum multis militibus ad loca habitata Liliæ, ut quotquot posset Indianos, ad vecturam adduceret, ex omnibus enim iis, qui Anzerma, & Allia adducti erant, (quorum maximus erat numerus) nullus vitæ supererat, ultra mille autem homines inde deduxerat (cæsis non numeratis, aut computatis) quorum dictus Capitaneus, quos sibi necessarios esse existimabat, reservavit, reliqui militibus traditi sunt, qui cathenis vincti, omnes perierunt. Sic itaque tam Hispanis, quàm naturalibus incolis (cuius rei parvus, qui restat numerus, testis est) expopulata urbe, ad iter Popayani se accingit, relicto in itinere Martino de Aquirra, qui alios sequi non poterat. Qui cum ad Popayanum pervenisset, præsidiario milite urbem munivit, & eodem modo, quo alios, huius regionis incolas, afflixit, & destruxit. Curavit etiam Regii numismatis formam confici, & omne aurum, quod habebat, illud etiam miscens, quod Joannes de Ampudia furatus fuerat, antequam accederet, liquari præcepit, & nullis rationum tabulis confectis, nullis militibus persolutis, exceptis paucis, qui equos amiserant, in solum suum usum tantam auri vim convertit. Hoc peracto, quintam, quæ suæ Majestati debetur, partem, assumens se Cuzconium, ut gubernatori rationem redderet, proficisci, dixit, & affirmavit. Sed aliam viam, Quitoniam versus, secutus est, multis Indianis in itinere captis, qui omnes, vel in via, vel Quitonio perierunt, postea autem numismatis formam, quam fieri curarat, corrupit, & destruxit. Hic annotandum, & animadvertendum, quod ipsemet de se ipso, non ignarus malorum, & crudelitatum, quas patrabat, dixit: Qui ab hinc quinquaginta annis has regiones peragrabunt, & hæc audient, talem tyrannum hac pertransisse, dicent, & narrabunt.

Vestra Celsitudo certa esse debet, hoc ipsos in hanc regionem, istius tyranni, introitus, & evitus, & eosdem modos hoc Indianos, qui securè in sua regione vivebant, visitandi, ab aliis Hispanis practicatos, & executioni mandatos esse, qui eadem vestigia, ab eo tempore, quo India detecta est, usque in præsentem diem, calcarunt.

AUTHOR.

AUTHOR.

Inter ea remedia, quæ Dominus Bartholomeus de las Casas, Regiæ urbis Chiapensis Episcopus, in concilio Prælatorum, & litteratorum, eruditorumq; virorum, ad Indiarum reformationem Valladolidæ Anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, suæ Majestatis authoritate, congregato, retulit, octavum ordine erat, quod sequitur; viginti rationes, & causas comprehendens, quibus contulit Indianos Hispanorum Imperio, feudo, clientelæ, neq; alio quovis modo tradi debere, si velit sua Majestas (ut desiderat) eos tyrannide & damnis, quæ patiuntur, tanquam ex ore Draconis eripere, & liberare, impedireq;, quo minus destruantur, & cædantur, & ne mundus ille, naturalibus incolis, quibus eum refertissimum vidimus, omnino destituatur, & deseratur.

Octavum remedium inter alia fortissimum est, & potentissimum, hoc enim omisso reliqua nullius essent momenti nec valoris, omnia enim ad hoc unum tanquam certi modi ad suum finem, referuntur: & ita Majestatem vestram concernit, ut vix dici possit, vel sermone exprimi, de tota enim perditione, vel conservatione Indiarum agitur. Hoc autem tale est: ut Vestra Majestas magna solennitate in curiis, pragmaticis sanctionibus, & Regiis legibus constituat, & imperet, ut omnes Indii tam victi, & subacti, quàm vincendi & subigendi, sub Vestræ Majestatis Imperio, Regnis Castellæ, & Legionæ, tanquam subditi, & vasalli liberi, ut sunt, reducantur, & incorporentur, neque ullius Hispani Imperio subjiciantur, sed hæc sit inviolabilis constitutio, determinatio, & lex Regia, ut nec hodie, nec in perpetuum, à dicta Regia Corona separari, neque dari, commendari, in feudum deponi, aut ullo servitio, vel personæ merito, aut necessitate intercedente, vel ulla causa, quæ prætendi posset, ab hac Regia Corona separari possint. Ad cujus rei confirmationem, & firmiorem constitutionem Vestra Majestas solenniter, per fidei verba, Regiam Coronam & reliquias res sacras, quæ à Principibus huiusmodi negotiis adhiberi solent, juramentum præstabit,

nullo tempore neque perſonam ſuam Regiam, nec illius, tam horum Regnorum, quam Indianorum ſucceſſores, quantum in ſua poteſtate ſitum erit, revocaturos : & expreſsè teſtamento cavebit, ut in perpetuum hæc Conſtitutio ab hæredibus obſervetur, & defendatur, & quantum in illis ſitum erit, confirment & continuent. Et hoc viginti rationibus neceſſarium eſſe probatur, quarum aliquas, quæ ad rem facere videbantur, hic addidimus,

Secundæ rationis Apographum.

HIſpani nimia ſua avaritia, & habendi cupiditate, religioſos in eas urbes, & loca, quibus imperant, intrare nec permittunt, nec patiuntur : inde enim duplici damno ſe affici dicunt, quorum primum, & præcipuum eſt, quòd Indii ad conciones, & prædicationes convocati, & congregati, ocioſi manent, nec labori incumbunt, & interea eorum negotia non geruntur. Et quandoque accidit, ut Indianis prædicatione occupatis, Hiſpanus acceſſerit, & omnibus videntibus, quinquaginta, vel centum, quantum ad ſarcinas, & impedimenta ferenda neceſſarii videbantur, ſequi juſſerit, qui cum pergere recuſarent, baculorum, & pedum ictibus ad id coacti ſunt : atque ita commutis, & turbatis tam Indianis, quàm religioſis, utrorumque ſaluti impedimentum attulit. Aliud damnum quo ſe affici dicunt, eſt, quòd initiati Indiani, & Chriſtiani facti, imperioſi fiunt, & ſe doctiores, capacioresque, quàm ſint, exiſtimant, atque ita tanta ſervitia, quæ ſolebant, præſtare detrectant, & recuſant.

Nihil aliud in votis habent Hiſpani, quàm ut imperent, & ab Indianis, tanquam Domini. colantur, & adorent.

Data opera, apertè Evangelii curſum, ne Chriſtianiſmum Indiani amplectantur, retardant, & impediunt.

Datur autem quandoque duobus, tribus, vel quatuor Hiſpanis urbs vel pagus (aliis plus, aliis minus) accidit, ut pro ſua parte, alter fœminam, alter maritum, tertius liberos, ac ſi porcos dividerent, conſequantur. Iis autem Hiſpani ad multa utuntur, vel ad colendos agros vel in fodinis, vel certè eorum operam locant ad onera per quinquaginta, ſexaginta, centum itineris milliaria, ferenda. Quod cum fiat quotidiè

quotidie, Indiani verbi Dei prædicationibus nec adeſſe, nec de ſancta fide informati, & inſtrui poſſunt. Ex liberis ſervos fecerunt, maximas urbes, & amplum hominum numerum deleverunt, nec ullis ædificiis, liberis, patribus, vel matribus pepercerunt.

Hiſpani non majorem curam converſionis horum hominum gerebant, quàm ſi omnes hæ animæ rationis capaces, & participes, cum corpore eſſent interituræ, nec illorum vitam ulla immortalitas, gloria vel pœna ſequeretur,

Tertiæ rationis Apographum.

HIſpanis ad noſtram fidem Catholicam Indianos initiandi onus incumbit : quamobrem Joannes Colmenero in Sancta Martha, vir fantaſticus, ignorans, & fatuus, à nobis examinatus, (quamvis urbs ei eſſet commendata, & animarum curam gereret) ne quidem ſigno crucis ſe munire norat, cumque interrogaretur, quidnam Indianos ſibi commiſſos doceret, reſpondit ſe dæmoni, & diris eorum capita devovere, & hoc ſufficere ſi illis diceret, *Per Signin Sanctin Cruces.*

Sed quomodo Hiſpani, quantumvis egregii & nobiles, animarum curam gerere poſſent, majori eorum parte decem præcepta, quæ credenda ſint, & reliqua ad ſalutem neceſſaria ignorante, qui nulla alia re moti Indias petunt, quàm ut effrenatis deſideriis, & immodicæ cupiditati inſerviant, & plerunque omnes vitiis ſunt dediti, corrupti, inhoneſti, & inordinati, ita ut ſi æqua lance cum Indiis ponderentur, ſine ulla comparatione Indii majoris virtutis, & ſanctioris vitæ reperientur, & judicabuntut. Indiani enim, quamvis infideles, unica uxore, ſecundum naturæ, & neceſſitatis præcepta, contenti vivunt, & Hiſpanos, non una, ſed vix quatuordecim, Divinæ legi directè repugnantes, contentos cernunt. Indiani nullis bona eripiunt, vel prædantur, nulli ſunt injurii, neminem opprimunt, vel cædunt : & cernunt omnia peccata, omnia mala, infidelitates, & iniquitates, quæ ab ullo mortali contra omne jus committi poſſent, ab illis patrari. In ſumma Indiani irriſionibus & incrudelitate, de Deo dicta perſequuntur, & in ea verſantur omnium Deorum, noſtrum, cui ſunt tam mali, & perditi ſervi, peſſimum, & iniquiſſimum. Quod verò ad Veſtram Majeſtatem attinet nihil ea

hil ea, inter omnes Reges aut crudelius, aut iniquius ducunt, cùm tam crudeles, & impios ſervos ad has regiones mittat. & ea diſtinentur opione, ut Veſtram Majeſtatem, ſanguine, & carne humana veſci firmiter credant. Hæc quidem Majeſtati Veſtræ nova ſunt, & inaudita, ſed illi regioni ſatis vera, & inveterata. Similia multa, quæ oculis vidimus, in medium quidem poſſemus proferre, ſed Veſtræ Majeſtatis auribus eſſent moleſta, & ſtupore hominum animos conſternerent, ſummaque diſtinerentur admiratione, quòd Deus in tantum tempus Hiſpaniam abſorbere, & devorare protelarit, & diſtulerit.

Hic titulus, Hiſpanorum commendationi Indios ſubmittere, non habet alium finem, quàm, ut occaſione ſumpta, in ſevitutem redigantur. Hiſpanus alicuius urbis, pagi, vel villæ Dominus aut præfectus, plus damni & mali, depravatæ ſuæ vitæ exemplo inferet, quàm centum probi, & ſancti religioſi ædificicando & convertendo boni facere poſſint.

Quartæ rationis Apographum.

SI Hiſpani aliquod Imperium, vel particulare intereſſe forte habeant, magna habendi cupiditate ducti, abſtinere non poſſunt ab afflictione, injuriis, turbationibus, & oppreſſionibus, quibus à ſuprema Veſtra Majeſtatis Curia ſatis fieri non poteſt, nec remedia adhiberi queunt, Hiſpani enim minis eos terrent, & ſæpè, ne conquerantur, cædunt, cuius rei certam habemus notitiam. Unde manifeſtè apparet, eos pace & quiete deſtitutos, rebus divinis vacare non poſſe, mille enim impedimentis, angoribus, tormentis, mœroribus, & afflictionibus diſtrahuntur, quo fit, ut Majeſtatem Veſtram odio, & legem abominatione perſequantur, nimis ponderoſum, avarum, & latu impoſſibile Veſtræ Majeſtatis tyrannicum jugum, quod reijciatur & excutiatur dignum invenientes: & deſperatione ducti Deo maledicunt, illi ſupradicta omnia mala attribuentes, cum colore, & titulo ſuæ legis tam multa mala accjdant, quæ ipſe fert, nec eos caſtigat & punit, nec nequitiam eorum, qui ſe ſervos Dei jactitant, à quibus hæc mala oriuntur, & procedunt, retardat, aut omnino reprimit. Die ac nocte ſuorum Deorum deſiderio aguntut, & flagrant, noſtro Deo eos meliores eſſe exiſtimantes, ab hoc enim infinitis malis, ab iis multis bonis afficiuntur, eorum cauſa nullas moleſtias, quibus è Chriſtianis affliguntur, recipientes.

Quintæ

Qnintæ rationis Apographum.

DEmonſtrabimus, & oſtendemus Veſtræ Majeſtati, Hiſpanos ſpatio triginta octo, vel quadraginta annorum, numero computato injuſtè ultra duodecim milliones veſtrorum ſubditorum cæcidiſſe: non dico quantum multiplicare, & ſobolem augere potuiſſent, cùm nulla ſit regio in toto mundo tam apta, & conveniens, cum beſtiarum, tùm creaturarum humanarum generationi: ferè enim omnes huius Regni regiones temperatæ ſunt, & per conſequens humanæ generationi faventes. Innumera hæc gens ab Hiſpanis, ut officia, dominationes, & Imperia in cæteros haberent & excercent, cædibus ſublata eſt. Si enim Indianis injuſta inferentes, illi ſe armis tueantur, eos miris editis ſtragibus cædunt, qui verò pugnæ ſuperſunt, ſervi ducuntur ad fodiendum aurum, & argentum, eos, ad onera ferenda, binos, tanquam beſtias, ligantes, quos etiam locant, & illis perinde eſt, moriantur vel vivant, modo eorum labore aliquod emolumentum conſequantur, & multos nummos cumulent. In veritate loquor, me multa dicenda, quæ omnibus nota ſunt & manifeſta, relinquere. Quod ſi quis contrarium Veſtræ Majeſtati perſuadere velit & tenet, ipſius veritatis viribus probabimus eum læſæ Majeſtatis reum, & latrocinıorum in Indiis commiſſorum eſſe participem vel aliquam eorum partem ſperare. Quis enim aër tam peſtilens cœlo deſcendere potuiſſet, qui ultra 2500. terræ milliaria, infinito hominum numero culta, nullo relicto habitatore, conſumpſiſſet.

Sextæ rationis Apographum.

HIſpani ſola temporali utilitate ducti, notam, qua nulla magis ignominioſa aut peſtilens, Indianorum nomini injuſſerunt, eos ſcilicet abominandi illius contra naturam peccati eſſe conſcios, & reos: in quo certè, non minor ineſt nequitia, & malitia, quàm falſitas, & mendacium. In omnibus enim Inſulis, Hiſpaniola, ſancti Ioannis, Cuba, Jamayca, & ſexaginta Lucayis, in quibus infinitus vivebat hominum numerus, nulla unquam huius peccati mentio facta eſt, cuius rei teſtes ſumus, à principio enim inquiſivimus. Nec in toto Peruſio, de eo ſcelere

lere ullus ſermo. In regno verò Yucatan, ne unicus quidem hoc unquam crimine contaminatus inventus eſt, denique nec in tota America generaliter. Fertur quidem in aliquibus partibus aliquos huiusmodi homines vivere : non tamen idcirco tota regio inſimulari, aut vituperio affici debet. Idem de victu carnis humanæ dictum volumus, nempe in hiſce partibus nihil tale fieri, in aliquibus tamen non negamus, ſed etiam illos idololatriæ accuſarunt, quaſi verò tales ſint, ab hominibus, non autem à Deo, quem offendunt, puniri, & caſtigari debeant enim terras & Regna ſeparata, & ſolis naturalibus Dominis obedientiam præſtant. Noſtri autem majores, antequam in fidei doctrina inſtructi eſſent, & inſtituti, iisdem idolatriæ tenebris erant obvoluti, & ante Domini adventum omnes in eodem errore verſabantur. Quod autem tam humani, comes, & humiles ſe illis præſtiterint, eos legis, & fidei Chriſtianæ nec idoneos, nec capaces dicere auſi ſunt.

Hiſpani ſponte, & data opera impedimento erant, ne doctrina Chriſti, ejuſque virtus & potentia prædicaretur, & annunciaretur : religioſos enim ne tyrannides detegerent aut animadverterent, urbibuſque aliisque locis expellebant : immo etiam Indianos malo ſuo exemplo corruperunt, depravatos multos mores & vitia, quorum antea penitus extiterant ignari, illos docentes ; ut ſint jurare, ſacrum Chriſti nomen blaſphemare, uſuras exercere, mentiri, & multa alia peccata, eorum naturæ, tam benignæ, comi, & rectæ, contraria & repugnantia.

Iterum igitur Indianos Hiſpanis tradere, vel relinquere, nihil eſt aliud, quàm eos hominibus dare, qui proculdubio, & corpore, & anima illos deſtruent, & ad nihilum redigent.

Rex Ferdinandus fraude & dolo circumventus, Indianos ex Inſulis Lucayis, ad Hiſpaniolam trahi & duci, atque ita propriis ædibus, & patria privari permiſit : quæ cauſa extitit, ita ut in quinquaginta Inſulis, quarum aliquæ Canaria majores erant, & omnes populo infinito abundabant, undecim tantum perſonæ, cujus rei teſtes eſſe poſſumus, inventæ ſint. Si Majeſtati Veſtræ, eorum hominum, qui Inſulas Lucayas incolebant, crudelitates, cædes, devaſtationes, quæ ab his ſanctis Hiſpanis commiſſæ ſunt, recenſerem, Regiis veſtris auribus faſtidium, & horrorem parerent. Hiſpanos autem Indios bellis laceſſiviſſe, occidiſſe, natis, amicis, proximis, boniſque privaſſe, & ſpoliaſſe ſuperius ſatis, abundeque probatum eſt, hoc idem regio omnino deſolata, & deſerta

ferta teſtatur, mundus clamant, & Angeli deplorant, Deus magnis illis caſtigationibus, & vindictis, quibus in nos ſævit, apertè declarat.

Septimæ rationis Apographum.

HIſpani Indianis omnem corporis ſubſtantiam, domi enim aliud non habent, ſugunt & lingunt ; ad ſanguinem uſque ſpuendum torquent, omnibus periculis exponunt, diverſos labores, & intolerabiles imponunt, & quod magis eſt, variis tormentis baculorum, & flagellorum ictibus eos lacerant, & laniant, deniq; mille modis affligunt, & conſumunt.

Subjicere autem Indianos Hiſpanorum poteſtati, idem eſt, ac pueros frenetecis & furioſis novaculam gerentibus jugulandos dare, vel homines poteſtati furioſorum, & capitalium hoſtium, quos jamdudum cœdendi deſiderium teneret, exponere vel virginem formoſam adoleſcenti, ejus amore capto & illaqueato tradere, inde enim ejus corruptio, & violatio, ſequeretur, niſi gratia divina intercedente inſigni aliquo miraculo, liberaretur : breviter idem eſſet, ac ſi inter rabidorum taurorum cornua imponerentur, vel ſi lupis, leonibus, aut tygridibus longa fame oppreſſis objicerentur, & exponerentur. Nec minoris eſſent authoritatis leges, prohibitiones, & minæ de expoſitis non devorandis, his crudelibus feris factæ, quàm Hiſpanis de non cœdendis Indianis, ut aurum obtineant. Et magna noſtra, longaque experientia hoc Majeſtati Veſtræ affirmamus, quod quamvis imperaret, ut patibulum, præ foribus cujuſque Hiſpani erigeretur, & per ſacram ſuam coronam juraret, unumquemque eorum affixum iri, ſi vel unus Indianus occiſus, deſideraretur : tamen ſi ſua Majeſtas aliquam illis authoritatem, poteſtatem, vel imperium mediatè, vel immediatè quocunque alio modo concederet & permitteret, ab occidendis Indianis non deſiſterent.

Octavæ rationis Apographum.

NOn ſolum Indiani ſervitutem Hiſpanorum ferunt, ſed etiam illis datur lanio, vel potius crudelis carnifex, qui illis in unaquaque urbe vel loco imperat, quem Eſtanciero, vel Calpiſquo ſua lingua vocant, ut eorum laboribus, & omni operi, ad quos eos accingi ſupremus latro jubet, invigilet : Qui tantis tormentis eos afficit, ut nulla in toto mundo illis ſint comparanda. Hic carnifex fuſtibus, flagellis, & baculis illos cedit, urentis laridi ſtillantibus guttis irrigat, tormentis continuis torquet, vi virgines, & mulieres ſtuprat, gallinas, eorum maximum thesaurum comedit, vel Dominis & tyranno majori dono dat: denique variis aliis

tiis aliis & infinitis tormentis cruciat : & ne de illatis tormentis conquerantur , hic Diabolus illis timorem incutit, ſeque eos idolatriæ inſimulaturum, & accuſaturum minatur. Denique neceſſum eſt , ut complaceant & inſerviant viginti circiter inordinatis & diſſolutis hominibus, nulla ratione præditis : atque ita quatuor præcipuos habent Dominos & magiſtros, Veſtram Majeſtatem, ſuum Cacicum, illum cujus Imperio ſubmittuntur, & illum Eſtancieronem, de quo paulò ante facta eſt mentio , qui quidem omnium peſſimè illos tractat. Et adhuc illis omnibus addi poſſunt, monchachos, & Mauri quorum miniſterio magnus Magiſter , & Imperator utitur , iſti enim miſeram hanc gentem graviter deprædantur, & opprimunt.

Decimæ rationis Apographum.

MAximè timendum eſt , ne Deus Hiſpanis proprer maxima pecccata, quæ hæc gens in India patravit & commiſit , deſtruat, & ad totam deſolationem adducat , cujus rei iam apparet caſtigatio , & jam omnes confitentur maximum feciſſe progreſſum unde apparet Deum propter dictarum regionum devaſtationem , & deſtructionem maxime offenſum & iratum, cum ex tantis theſauris , quos India dedit (qui tanta auri, & argenti vi conſtabant, ut nec Salomon, nec alius Rex quiſpiam , de tanta mentionem fieri audiverit) nihil omnino remanſerit, aut ſuperſit. Immo de ea pecunia, quæ hic ante Indiarum conquiſitionem extabat, nihil amplius cernitur. Unde accidit, ut omnia cariora ſint, quàm ſolebant, & populus magna neceſſitate, & inopia prematur ; nec quidquam magni, aut admirandi Majeſtas Veſtra exequatur.

Vndecimæ rationis Apographum.

TOto eo tempore, quo gubernatio penes Lareſium fuit, non major adhibita eſt cura in docendis , & inſtruendis Indianis , vel ad ſalutis portum ducendis , quàm ſi ligno , vel lapidibus conſtitiſſent. Ille maximas urbes expopulabat, & uni Hiſpano centum Indianos, alteri quinquaginta, ut quiſque illi gratus erat, tribuebat. Ille infantes, ſenes, gravidas fœminas & puerperas , viros in aliquo officio , vel dignitate conſtitutos , communem plebem , naturalium urbium & regionum Dominos, iis, in quorum amicitiam vel utilitatem ferebatur, tradebat, in litteris Imperatoriis ſcribens : Tibi tali, quem nominabat, tantus Indianorum numerus , cum ſuo Cacico detur, ut eorum ſervitio in fodinis & negociis uraris. Et ita , nullo dempto , omnis generis, ſexus, & ætatis homines, quamdiu vitæ ſupererant, laborare & inſervire cogebantur.

Ille

Ille concedebat, & permittebat, ut viri conjugati , & matrimonio juncti, ad fodiendum aurum, ad fodinas, per decem, quadraginta, octuaginta, quandoq; plus quandoq; minus milliaria ducerentur. Interea uxores in villis maximis laboribus incumbentes, manebant, & terram cumulabant, quam fodiunt , & elevant quatuor palmarum altitudine , & duodecim pedum latitudine , qui gigantis eſt labor , cum præcipuè non raſtris vel bipaliis , ſed ſolis palis terram fodiant , in aliis locis Xilum vel Goſſipium nebant , denique diverſis aliis ſervitiis applicabantur , quæ ad nummos comparandos commodiora videbantur , & ita ſæpè accidebat, ut conjux conjugem toto anno ne ſemel quidem videret : cum verò elapſo illo tempore conveniebanr, ita defeſſi erant, præque labore , & fame ita debiles, ut cohabitandi vel coeundi nullo deſiderio tenerentur, atque ſic generatio ceſſavit, & jam procreati infantes , deficiente ex nimio labore & fame matribus lacte peribant, quæ etiam cauſa extitit, ut ſpatio trium menſium , noſtrum aliquo præſente , in Inſula Cuba , ſeptem millia infantum obierint : aliquæ fœminæ deſperatione ductæ, proprios natos ſuffocarunt & occiderunt, aliæ verò gravidæ, nè fructus maturitatem conſequeretur , herbis quibuſdam infantes necdum natos necaverunt : atque ita viri in fodinis, fœminæ in villis & agris vitæ finem imponebant. Sic ceſſante generatione, paulatim etiam omnes homines deficiebant, totaque regio incolis denudabatur.

Gubernator illos laboribus continuo affligendos tradidit, & in ipſo labore , rigore , & nimia auſteritate illos tractari permittebat : Hiſpani enim, quorum imperio traditi fuerant, certos carnifices inhumanos & immites virgis , & alapis eos excipientes, conſtituebant : neque verò unquam aliquod humanitatis , vel lenitatis ſignum in illis apparebat, ſed toti in rigore & auſteritate confecti erant : & verè crudele eſſet & inhumanum ipſos Mauros , quantumvis magna damna Chriſtianis inferant , tanto rigore , & aſperitate tractare , & majori ratione Indianos gentem lenem, comem , humanam , & ſi ulla ſit in toto orbe, obedientem. Qui autem fodinis præerat Miniero , qui verò villis Eſtanciero appellabatur, quorum inhumanis tormentis oppreſſi aliqui Indiani, ad montes fugam arripuerunt , ſolam mortem expectantes; quod cernentes Hiſpani certum ſatellitem conſtituerunt & elegerunt, cui nomen Alquaziles del Campo inditum eſt, cujus officium erat eos in montibus venari, & perſequi. Gubernator in urbibus, & aliis Hiſpanorum locis, certos viros magni nominis , & authoritatis conſtituit, quos



appellavit visitatores, quibus, respectu officii tantùm, non computatis ordinariis, quas obtinebant partibus, centum Indiani ad servitium dabantur. Isti insignes erant totius urbis carnifices, & reliquos crudelitate superabant, illis offerebantur & præsentabantur, qui ab Alquazilis del Campo in dicta venatione capiebantur, aderat etiam, quibus commendati erant, erant, qui eos accusabat his verbis. Talis Indianus, vel talis Indiana canis est, qui inservire non vult, sed confugit ad montes, ut laborem fugiat & evitet, idcirco peto, ut puniatur & castigetur. Hoc dicto visitator eos palò affigebat, & ipsemet picata chorda, quæ à nautis anguilla vocatur, quæ est instar virgæ ferreæ, ita eos verberabat & afficiebat ut sanguine undique fluente, pro mortuis relinquerentur. Crudelitatum in hos agnos patratarum Deus est testis. Quod ad me attinet, ne ex mille partibus unicam explicari, aut à quoquam recitari posse existimo. Labor aurifodiendi illis imponebatur, qui ferreis egeret hominibus, montes enim millies invertendi sunt, rupes fodiendæ, aurum postea in fluviis lavandum, & ita in aqua perpetuo versantes & hærentes, naturæ & corporis vires corrumpunt. Quod si ipsæ fodinæ aquam suppeditent, nihilominus tamen brachiorum maximo labore hauriendæ est. Breviter ut Vestra Majestas laborem auri & argenti fodiendi comprehendat & intelligat, consideret gentiles & paganos Imperatores, ad majus nullum tormentum, dempta morte, martyres damnasse. Aliquando per annum integrum in fodinis detinebantur, sed postea, cum multa hominum multitudo periret, constitutum est, ut quinque tantum mensibus aurum foderent, illis verò quadraginta diebus liquabatur, quiescerent. Illorum autem quies erat, ut cumulos, de quibus supra dictum est, sternerent, & congregarent, qui quidem labor supra dicto non cedebat. Festi dies illis erant penitus ignoti, labor enim omnibus diebus erat communis. Atque in summo hoc labore ne illius quidem regionis panis, caçabi, qui cum radicibus confectus sit, nisi carnes, aut pisces addantur parui est nec solidi nutrimenti, sufficienter dabatur: huic pani, regionis piper, & ayæ, quæ sunt radices instar tostarum raparum, adjungebantur. Et aliqui Hispani, qui insigni liberalitate se illos alere existimabant, singulis septimanis unum porcum quinquaginta Indianis distribuebant, cujus Miniero mediam partem consumebat, & alteram mediam inter illos dividebat, unicuique tantum tribuens, quantum monachi panis Benedicti in templis dare solent. Aliqui erant, qui nimia avaritiæ obcœcati ad campos & montes eos mittebant, ut arborum fructibus satiarentur, atque ita saturi reversi, per duos vel tres dies, ne unico frusto oblato labori, & operi incumbere cogebantur. Consideret, rogo, Vestra Majestas, quod alimentum ex hoc victu corpora, sua natura tam debilia & delicata, infinitis laborum generibus consumpta & attenuata capere possint, & utrum hi homines tantis laboribus fracti & confecti, vitam tam tristem ducentes, infinitis angoribus, deficiente victu, afflicti & consumpti, longæuam vitam trahere valeant. Gubernator tandem jussit, ut illis salaria & mercedes darentur: & tam pro impensis & victu, quàm pro laboribus & servitiis, singulis binis diebus tres blancæ darentur, quæ

per annum medio coronato æquivalent, quod quidem sufficiens erat, ut rosarium, pecten & speculum, conficerentur. Multo annorum spatio illis nihil datum est, neque verò illa distrahebantur cura, solo enim hoc desiderio tenebantur, ut semel saturarentur, postea verò vitæ tam afflictæ & desperatæ cederent. Tandem libertate in totum eos privavit & spoliavit, Hispanis permittens, ut in servitutem & captivitatem duriorem & asperiorem, quàm credi aut imaginari possit, illos redigerent, nihil omnino in hac vita habentes, quo liberè frui possent. Et in eo bestiarum melior est conditio, cum enim ad campos, pascendi gratia mittuntur, aliquid habent relaxationis & libertatis. Indiis verò nec tempus, nec otium quiescendi ullum concedebatur: Gubernator in servitutem absolutam, & perpetuam redigebat, nec illis aliquid per se ipsos agendi ulla restabat aut supererat voluntas, sed id tantum, ad quod Hispani inordinata sua avaritia & ambitione trahebantur, eos non tanquam captivos, sed tanquam bestias, quæ ad opus aliquod vel laborem trahuntur, ducentes. Si illis quandoque permitteretur aut concederetur, ut domũ ad quietẽm repeterent, ibi nec uxorem nec liberos, nec quicquam quod comederent, inveniebant, atque ita sola mors afflictis & miseris ultimum erat remedium. Variis itaque laboribus fracti, in morbos, quod facilè propter delicatam eorum naturam accidebat, incidebant: & quod sanitati maximè adversabatur, & contrarium erat, sine ulla misericordia ad laborem iterum ducebantur, pedum & baculorum ictibus excipiebantur, & Hispani villacos eos appellantes, morbum simulare ad laborem præterfugiendum dicebant: cum verò augescente indies morbo, nihil servitii aut utilitatis amplius expectarent, eos domum remittebant, & ad iter triginta quadraginta, vel octuaginta milliarium, sex vel septem fortes radices, raparum species, cum exigua Caçabi copia dabant, qui non longo itinere confecto, desperati moriebantur: alii confectis decem vel viginti milliaribus, maximo desiderio domum perveniendi, ut ibi miseræ vitæ finem imponerent, in itinere mortui decidebant: & multos in itinere mortuos sæpè vidimus & invenimus, alios ultimum spiritum trahentes: alios vero verbis, ut poterant & gemitu, extremæ famis, qua premebantur, testimonium dantes. Quando autem cernebat gubernator, eorum qui commendati fuerant, deesse numerum, sorte mortuorum vices supplebat: quod singulis ferè annis fiebat & accidebat.

Ferarias, terram firmam, tanquam lupus in agrorum gregem ingressus

gressus est, & tanquam furor & flagellum Dei, tantas, cœdes, strages, latrocinia, violentias & crudelitates, cum Hispanis, quos conscripserat, committens & patrans, & tam multas urbes, & pagos destruens & expopulans, ut patrum nostrorum ætas, talia nunquam viderit aut audiverit, nec tam horrenda ullus nostræ ætatis historiographis scriptis testatus sit. Et in Regem, & in subditos insignia furta, cum iis, quos secum duxit, commisit, & ultra quadringenta terræ milliaria (quæ quidem regio totius orbis ditissima fertilissima & populis incolisque referti ssima extabat, à Dariano, quo primùm appulit, usque ad Nicaraquam se extendens) destruxit, & ad extremam desolationem adduxit, damna autem, quæ dedit & intitulit, quatuor, immo sex auri millionibus, resarciri aut reparari non possent. Ab homine hoc pernicioso & perdito, Indianos Hispanorum potestati & imperio submittere, prima origo, quæ pestis postea per totam Americam, in qua Hispani versantur, paulatim serpere cœpit; atque ita ab eo, & ejus imperiis, ex quibus tantæ hominum perditiones, tantorumque Regnorum Vestræ Majestati subditorum, ab anno millesimo quingentes. quarto, devastatio, desolatio & ruina procedit & oritur.

Quando dicimus, Hispanos Septem Regna tota Hispania ampliora destruxisse nos ea hominibus refertissima vidisse, & jam in illis nullum omnino extare, intelligendum est. Hispani enim omnibus naturalibus incolis sublatis, sola, urbium, pagorum villarumque mœnia, populo & habitatore destituta, & deserta relinquere; non secus ac si omnis Hispania, solis restantibus urbium & pagorum, aliorumque locorum mœniis, omni populo mortuo, expopulata & deserta jaceret.

Decimæ tertiæ rationis Apographum.

VEstra Majestas, ne unicum obolum, quod certum sit, perpetuum & durabilem in omnibus Indiis habet, sed ejus reditus, similis est foliis & straminibus, quibus semel collectis, ad eandem messem non datur regressus, cujus rei hæc sola causa est, quod Hispanorum potestati Indii subjiciantur: cum enim singulis diebus minuantur & rarescant, necessarium est etiam Vestræ Majestatis reditum minui.

Hispaniæ regnum maximo versatur in discrimine & periculo, ne ab extraneis, & peregrinis nationibus, præcipuè verò à Turcis, & Mauris invadatur, destruatur & opprimatur: Deus enim, qui justus est Judex, ægrè fert offensas, peccata, afflictiones, oppressiones, tyrannides, latrocinia, & cœdes, ab Hispanis in Indiis commissas & patratas; omnes enim illius regionis incolæ ad imaginem, & similitudinem sanctissimæ

Trinita-

Trinitatis creati & formati sunt, Deique (cui curæ sunt) precioso sanguine redempti, à quo Hispania electa fuerat, ut has gentes illuminaret, & ad sui cognitionem perduceret, cui, ac si salarium in hoc mundo, præter æternæ vitæ compensationem dare voluisset, tam amplas, fertiles & amœnas regiones, fodinarum auri & argenti, gemmarum & unionum, infinitorumque bonorum, quorum tanta nulla unquam ætas vidit, divitias innumeras concesserat; quorum omnium ingrata, infinita mala, pro innumeris, quæ recepit, beneficiis intulit: hanc autem regulam in suis vindictis & castigationibus observat Omnipotens, ut peccata iisdem vel contrariis peccatis puniat & castiget.

Destructio, injustitia, violentiæ, crudelitates & cædes in hos innocentes commissæ tam enormes sunt, publicæ & notoriæ; ut lacrymæ, fletus, & sanguis horum innocentium ad supremum cœlorum fastigium, ad Deique cognitionem & notitiam pervenerins & ascenderint; & inde per totum orbem jam vagentur, omniumque etiam peregrinarum nationum, quantumvis barbararum & immanium aures personent: unde audientibus scandalum, horror & abominatio gignitur; & totius populi Regumque Hispaniæ odium & infamia magnaque idcirco damna consequi, & conflari possent.

PROTESTATIONIS DICTI EPISCOPI & Authoris Apographum.

QUæ damna, & incommoda propter has Americæ devastationes, & cædes Castellæ, & Legionis corona, tota denique Hispania receptura sit, cœci vident, surdi audiunt, muti clamant, & sapientes judicant. Quia autem parvi sunt hominis dies, nec diu vitæ superesse possumus, Deum, omnes hierarchias & choros Angelorum, omnes aulæ divinæ sanctos aulicos, denique omnes homines, qui in hac miseriarum valle, adhuc peregrinantur, eosque qui multis abhinc annis eandem carnis viam ingressuri sunt, testes asseverationis præsentis, & conscientiæ exolutionis appello & invoco dicens, quod si sua Maiestas supradictas partitiones & divisiones, sortes tyrannicas & diabolicas permittat, non obstantibus omnibus legibus & statutis, quæ fieri & promulgari possent, fore ut Indiæ brevi tempore desertæ, & expopulatæ cernantur, non secus ac Hispaniola, Insula aliàs fœlix & fertilis, & reliquæ regiones, quæ in longitudinem trium millium milliariorum, non comprehensa Hispaniola, nec vicinis Insulis, protrahuntur & extenduntur, Et procul dubio propter ea peccata, quæ in illis regionibus committuntur, Deus (ut me sacræ litteræ docent & certum reddunt) horribili castigatione & vindicta, & fortè integra destructione, Hispaniam persequetur & castigabit, Ao. 1542.

PRO-

PROLOGUS EPISCOPI BARTHOLOMAEI de las Casas, vel Casai ad Potentißimum Dominum Philippum, Principem Hißpaniæ, Dominum noßtrum.

ILlustrissime & Potentissime Princeps, proximè præteritis diebus vigilantissimum Indiarum Regium consilium, zelo quodam & honore, quo in Deum fertur, & in servienda sua Majestate, fidelitate, qua maximè nitet, ductum me incitavit, mihiq; persuasit, ut scriptis quandoq; quod olium, & ore & præsentia, testarer; nempè: Qualis esset mea sententia de titulo & jure, quo Castiliæ Reges, in Indiarum universali, & suprema Dominatione nituntur; cum præcipue in me aliqui insurrexerint (quibus non arridet me cum sua Majestate, & Celsitudine Vestra, tractare & negotiari, ut cædibus & stragibus in America commissis & patratis, finis imponatur) dicentes, me cùm tanta asperitate & acrimonia (quod faciam quamdiu hac aura fruar) eas persequar, jus titulum Regium in dubium revocare & minuere.

Quod ut præstarem, testimonium secundum Deum, veritatem & conscientiam perhibens, triginta propositiones, nulla alia probatione, quàm ea, quæ unicuique per se inerat & necessario sequebatur, nitentes, obtuli, coactus enim fui eas celeriter, propter concilii congregationem Majestati suæ mittere.

Postea verò crescente indies, & augmentum capiente desiderio Deo inserviendi, aliquorum calumnias refutare & reprimere decrevi, qui vel quòd veritatem comprehendere non valeant, vel quòd eorum deliberationes & consilia contrarium finem propositum habeant, præsumunt sub specie ficta & fucata Regibus inserviendi (qui propria & nobili sua natura ingenio & animo benigno & simplice dotati sunt, alios suo pede metientes) illis venenatam, amaram & fortè lethiferam potionem offerre qua non solum Regna desolantur & destruuntur, sed etiam ipsæ Regum personæ in aperta pericula & damna irreparabilia conjiciuntur & precipitantur: qui fraudulentis consiliis, quantum in illis est, bonos & sanctos Regum affectus, principumque insignes deliberationes, & sana studia (qua de re summus ille Artaxerxes, aliàs Assuerus, ut apparet in historia Hester, conquestus est) corrumpunt & vitiant. Quamobrem, Potentissime Domine, jam in lumen posui dictarum propositionum & aliarum probationem, quam brevi hoc summario ex majori volumine deprompto & excerpto, complector & comprehendo: hic autem tantum decimam septimam, & decimam octavam propositionem in medium adduco; omnis

enim hujus materiæ ſubſtantia, ad has duas propoſitiones, tanquam ad ſua principia, & fines refertur.

Titulus autem dicti operis, quo adverſariorum ſententia probatur, talis erat meo judicio (Tractatus probatorius ſummi imperii & univerſalis Dominationis Regum Caſtellæ, & Regionæ in Indias) præſupponens hoc clarum eſſe, nec ulla probatione indigere, cùm à ſancta ſede Apoſtolica conceſſum ſit, nec opus eſſe rationes, quare hoc imperium conceſſum ſit, indagare & excutere.

In hoc autem tractatu conſcientiæ primò ſatisfacere contendo utens miniſterio mihi divina providentia, ut videtur impoſito, (quippe qui jam annoſus ſim, attigi enim quinquageſimum annum, & idcirco magna & ampla cognitione, & negotiorum Americæ oculari experientia prædi-tus & dotatus) ut eorum quæ geſta ſunt, geri fierique debebant, eos ad quos attinet, monerem; omnia mea deſideria ad id conferens & dirigens, ut confuſionibus, quas in his regionibus, regnum & imperium obtinere vidi, finis imponatur.

Quia autem ii, qui majora huic remedio præſtant impedimenta, ipſimet proculdubio ſunt, qui (omni juſtitia & veritate extincta) fucato quodam ſermone & falſi injuſtique, cum eo, quod ad ſervitium ſuæ Majeſtatis pertinere videtur, mixtione & confuſione, jus quod in novo hoc mundo habet colorare & fucare tentant & conantur, cum tamen ſint verè ejus ſervitio, tam ſpirituali, quàm temporali, quàm opinionem omnis Chriſtianus & ſapiens tuebitur & defendet) contrarii & adverſarii. Alterum verò, quod obtinere hoc tractatu ſpero eſt, ut errores eorum in lucem & evidentiam prodeant, qui temerarie affirmare audent, jus & Dominationem Regum Caſtellæ in Indiis, fundamentum habere, & fundari debere armis, & magna potentia, eo ipſo modo, quo Nembrot primus hominum venator & oppreſſor (ut apertè demonſtrant ſacræ litteræ) dominationem ſuam fundavit, & ut Alexander Magnus, Romani & inſigniores tyranni Imperia ſua ſtabilivere, & eo modo, quo hodie Turca Chriſtianum orbem invadit & opprimit.

Quomodo ii, qui talem ferunt ſententiam Regi male inſerviant, & ſinceritatem, juſticiæque amorem, quo Caſtiliæ reges ſummopere afficiuntur, offendant & lædant, omnes judicare facilè poſſunt.

Ut autem ſupradicta probent, errores erroribus cumulant, & abſurda abſurdis, indigniſque quæ ab iis, qui Chriſtiani & ratione prædi-ti haberi volunt, audiantur. Hoc enim commune, eſt & vulgare, ut ii qui à virtute

tute vel veritate aberrant, dum errorem excuſant & defendunt, in alium incidant & labantur.

Alii ſunt qui honeſtiores titulos allegant & adducunt, qui non ſolum rejici, ſed etiam reprehendi & irrideri merentur; quorum in numero ſunt ii qui dicunt nos, quod prudentiores & ſapientiores ſimus, vel quia proximiores, & viciniores, vel quia Indiani tali talique vitio maculati ſunt, ſub jugum illos mittere & debellare licite poſſe; quib. titulis tantum abeſt, ut cauſæ nervos addant, quin omnino tollunt, omniaq; fundamenta in totum ſubvertunt.

Atque ut ſuæ Maieſtati, quod ſupra dictum eſt innoteſcat, & (ut Chriſtianiſſimus) mundum ab immundo, juſtum ab injuſto, cognita veritate diſcernat & diſtinguat, eosque qui integra voluntate illi inſerviunt, & eos qui propriis affectibus ducti & particulari utilitati ſtudentes, novos titulos, qui nullus ſunt probationis vel valoris, confingunt & inveniunt: ſperans me brevi, ad oſculandas omni humilitate ſuæ Maieſtatis manus acceſſurum, interim hunc tractatum Veſtræ Celſitudini offero, eum ad ſuæ Majeſtatis cognitionem perventurum certò ſciens. Rogo autem & precor Celſitudinem Veſtram, ut ejus nomine, eum recipiat: & ea ipſa ſapientia & bonitate, quam hereditario titulo poſſidet, examinare, diſcernere & cognoſcere velit; cum ita ſit à divina providentia conſtitutum, eodem jure & Imperio, ut ſperamus, Veſtram Celſitudinem aliquando potituram & fruiturum. Quod ſi conveniens & conſultum illi videatur, ut hujus Regni fines egrediatur, Latinitate, ſi ita Celſitudo Veſtra jubeat donabo. Quod ſi nec Latinè nec Hiſpanicè typis mandari mereatur, parua erit jactura; idcirco enim prælo tradidi, ut facilius Celſitudo Veſtra, cujus glorioſam vitam & Regium ſtatum, omni proſperitate conſervet & augeat Omnipotens.

SVMMA DISPVTATIONIS INTER FRATREM BARtholomæum de las Caſas vel Caſaum Epiſcopum, & Doctorem Sepulvedam habita.

DOctor Sepulueda, Imperatoris, Domini & Regis noſtri hiſtoricus, ab Hiſpanis quibuſdam deſtructionum & cædium in Indiis patratarum reis & conſciis inſtructus & perſuaſus, libellum elegantiſſimum quidem, omnibuſque (ut erat vir doctus & ejus linguæ peritiſſimus) Rhetoricæ partibus abſolutum edidit & in lucem emiſit: totus hic liber, circa principales duas concluſiones verſabatur, quarum prima erat, Bella contra Indianos ab Hiſpanis geſta & jure, & cauſa juſta, & æqua extitiſſe, & eadem bella

generaliter & posse & debere geri & moveri. Altera conclusio est, Indianos teneri & obligatos esse, Hispanis tanquam ignari & idiotæ sapientioribus, se submittere, quod si subiicere se nolint, ad id ab Hispanis compelli debere. Hæ sunt duæ causæ desolationis & mortis infiniti populi, & cur ultra duo millia milliaria, Hispanorum in Indiis crudelitate & inhumanitate, expopulata & omni incola denudata sint; nempe conquæstionibus, quas appellant, & Imperiis quibus partitionis nomen indiderunt.

Dictus Doctor Sepulueda, ut tractatui suo fucum adderet, se justos Regum Castellæ & Legionæ titulos, quibus universali & supremo totius Indiæ dominio fruuntur & potiuntur, probare velle contendit & affirmavit, ut ita eam doctrinam, quam per hæc & totius Indiæ Regna disseminare volebat, hoc velo tegeret & occultaret. Hunc librum Regio Indiarum consilio obtulit, omni instantia & importunitate rogans, ut eius imprimendi veniam concederet, sed sæpe & reiteratò repulsam passus est., dictum enim consilium scandala, pericula & damna evidentia & apparentia, quæ in publicum redundarent cernebat & judicabat. Cum igitur cerneret se librum hunc, Indiarum consilio vetante imprimere & typis mandare non posse, amicorum qui in Imperatoris aula versabantur, ope & auxilio litteras patentes obtinuit, quibus sua Maiestas ad Regiam Castellæ curiam Indianarum rerum penitus ignaram remittebat. Eo ipso tempore, quo hæ litteræ curiæ, quæ tunc in Aranda Duero Anno 1547. versabatur, allatæ sunt, frater Bartholomæus de las Casas vel Casaus, Regiæ urbis Chiapensis Episcopus, India appulit, qui de Sepulvedæ factionibus, deque eius libri subjecto & materia monitus & certior factus, pernicioſam authoris cæcitatem & irreparabilia damna, quæ libri impressione provenirent, cognoscens, quanto potuit rigore & asperitate se opposuit, latens venenum & authoris intentionem declarans & apertè demonstrans.

Regii assessores, ut sapientes & justi, cum hanc materiam ad Theologiam ferè omnem spectare & pertinere animadverterent, ad Salamancæ & Alcalæ Universitates & Academias, dictum librum misere, expressè jubentes & imperantes, ut examini subjicerent, & utrum typis mandari deberet subsignarent. Dictæ Academiæ multis exactis disputationibus habitis, librum ut qui non sanam doctrinam contineret, prælo tradi non debere concluserunt & determinarunt. Non contentus Doctor, & graviter conquerens de dictis Academiis, non obstantibus repulsis, quas à duobus Regiis consiliis passus erat, suum tractatum ad amicos, quos Romæ habebat, mittere decrevit, ut eam in Apologiam, quam

quam in Episcopum Segonianum scripserat, transformatum typographo imprimendum traderent, dictus enim Episcopus libro, & tractatu viso eum fraternè & amicè litteris reprehenderat. Monitus Imperator & certior factus de hujus libri & Apologiæ impressione, statim patentes literas expediri jussit, ut omnia diplomata & apographa colligerentur, & æterno silentio sepelirentur, quod & in regione Castellæ factum est, vulgari enim sermone certum summarium dicti liberi scripserat, ut ad plebis, quæ Latini sermonis cognitione est destituta, notitiam perveniret; subjectum enim ejus libri, divitias & officia, ad quæ necipsi nec majores unquam pervenerunt aut attigerunt, sine sumptibus, sudoribus & laboribus obtinere cupientibus suave est & gratum. Quod Episcopus Chiapensis cernens Apologiam vulgari idiomate, in dicti Doctoris summarium, ad Indiarum defensionem scribere, & in lucem emittere decrevit, omnia ejus fundamenta impugnans & subvertens, rationibusque quibus ille nitebatur respondens, & præterea populo, damna & pericula, quibus ejus doctrina scatet, detegens & demonstrans.

Peractis supradictis, & cum intermedio illo tempore multa accidissent, sua Majestas Ao. millesimo quingentesimo quinquagesimo multos literatos & eruditos, partim Theologos, partim Jureconsultos congregari & convocari jussit & imperavit, ut Regiæ Indiarum Curiæ juncti inter se examinarent & deliberarent: An jure salvo in hanc gentem, nulla alia, quàm infidelitatis culpa notatam & convictam, bella movere & arma suscipere liceret.

Advocatus est Doctor Sepulveda, ut quæ de hoc facto dicenda habebat, declararet & in medium proferret: prima sessione quæ voluit nullo repugnante retulit. Postea verò dictus Episcopus vocatus est, qui quinque dierum continuo spatio, Apologiam suam legit, quæ cum nimis longa & ampla esset, ab omnibus & Theologiæ & Jurisprudentiæ congregatis Doctoribus Excellens magister frater Dominicus Soto, suæ Majestatis confessarius ordinis Sancti Dominici, qui etiam aderat, rogatus est & requisitus, in summa quædam capita dictam Apologiam redigere, & tot Apographa quot Domini aderant (erant autem quatuordecim numero) conficere, ut consulta & diligenter considerata materia, de ea sententiam secundum Deum dicerent & proferrent: frater & pater Dominicus Soto dicti Doctoris summarii, et in eum ab Episcopo scriptas rationes comprehendit. Doctori autem ut requisiverat et postularat, earum Apographum concessit, qui duodecim objectiones et duodecim responsa scripsit, quib, totidem replicationib. Episcopus respondet.

PROLOGVS DOCTORIS SEPVLVEDÆ AD DOMINOS congregatos.

ILlustres et magnifici Domini, cum Dominationes et Gratiæ Vestræ, tantanquam Judices, Episcopum Chiapensem, quinque dierum spatio eum librum, in quo conficiendo et componendo multorum annorum labores insumpsit, in quo à se confictis rationibus, Indiarum conquæstiones, cum barbari ante Euangelii prædicationem et notitiam) quo modo reges nostri, et nostra ratio huc usque processerunt, et conformis est Papæ Alexandri VI. Bullis et concessionibus) sub jugum mittuntur et debellantur, esse injustas et iniquas probare nititur; attenta et benigna intentione intelligere dedignatæ non sunt: æquum est profectò et rogo, ut mihi indultum et authoritatem sedis Apostolicæ, justitiam et honorem nostrorum Regum, totiusque nationis defendenti, eadem attentio, dum subtilibus ejus objectionibus, clarè et dilucidè respondeo, concedatur. Et spero me Deo favente, ea omnia, quæ vanis et frivolis rationibus fulta, in contrarium coram tantis et eruditis Judicibus, qui justitiæ et veritati nihil omnino præfetre vellent, dicta sunt, nullis esse ponderis, vel momenti aperte ostensurum. Sed ad rem venio, neque enim honestum esset, coram viris tam diversis negotiis, præcipuè verò Reipub. impeditis et distractis prolixiori oratione uti.

PROLOGVS EPISCOPI CHIAPENSIS ad Dominos congregatos.

ILlustres & Magnifici Domini, Reverentissimi & Doctissimi Patres. In eo quod huc usque legi, & scriptis obtuli huic Honorando & Reverendo Concilio, in genere contra adversarios Indianorum, earum Indiarum, quæ in mari sunt Oceano, locutus sum; quamvis aliqui mihi non sint ignoti, qui apertè in tractatibus scribendis, invigilent, & cum sibi scopum propositum habeant, ut bella quæ facta sunt & fieri possunt (quæ tantorum damnorum, cædium, & tam amplorum Regnorum, innumerarum urbium, & infiniti populi destructionum, & desolationum causa extiterunt) excusent & defendant, & has gentes bello, antequam fidei prædicationib. & concionidus ad Christi cognitionem perducantur, domare & debellare justum esse, & legi Christianæ conforme & consentaneum: inter quos Reverendus & Excellens Doctor Sepulueda primas se obtinere apertè profitetur & declarat, cùm rationibus, authoritatibus & solutionibus in contrarium adductis, respondet, quas ad eadem bella detestanda, & ostendendum, demonstrandumque eas quas aqpellant, conquæstiones, injustas & iniquas esse, in nostra Apologia à me in parte Vestris Excellentiis, & Dominationibus lecta, compilavi

pilavi & composui. Quia verò tantarum, tamq; execrandarum impietatum, quæ ad infamiam fidei, Christiani nominis dedecus, & damnum tàm spirituale, quàm temporale majoris partis humani generis redundant, se authorem apertè fateri & profiteri non est veritus: æquum mihi visum est & justum, eum apertè impugnare, & ad rescindendum cancrum venenatum, quem per omnia hæc regna, ut ad nihilum reducantur, profundere & seminare nititur, me illi opponere & adversarium præbere. Illustres igitur Vestras Dominationes deprecor, & humiliter oro, ut hoc negocium tam periculosum tantique momenti, considerent & examinent, & publicum, non proprium meum factum esse judicent, nullum enim aliud jus prætendo, quàm ut Christianum decet, tanquam rem Deum, eiusque honorem, & Ecclesiæ, nec non Regum Castellæ statum, tam spiritualem quam temporalem concernentem, defendam & tuear; dicti enim Reges animarum, quæ jam perierunt, & quæ, nisi huic tam calamitoso tractui bellorum, qua à Doctore Sepulueda, ut justa & æqua defenduntur, via intercludatur, reseretur & porta claudatur, perituræ adhuc sunt, rationem reddere & debent, & tenentur. Neque verò honorandum hoc concilium fallaciam & calliditatem, quæ ad tegendam & fucandam damnosam suam, & pernicioſam opinionem, prætendens se authoritatem Apostolicam & Regum Castellæ & Legionæ, quod in Indias habent Imperium, tueri & defendere, admittat, nullus enim modò Christianus sit, authoritatem Apostolicam, aut Regis Christiani Dominationem bellis injustis & iniquis, quibus montes & valles innocenti sanguine teguntur, & Christo eiusque fidei infamia infertur & inuritur, confirmare, & defendere debet. Sed potius tali procedendi modo sedi Apostolicæ, æterna infamiæ nota inuritur, eiusque authoritas minuitur, verò Deo dedecus infertur, & jus titulusque Regis perditur, & ad nihilum redigitur, ut omnis sapiens, & Christianus, ex iis ipsis, quæ à Doctore Sepulueda in medium proferuntur, cognoscere & colligere potest. Illius tituli & juris hoc non est argumentum, ut in illas regiones & contra hanc gentem, ad latrocinia, cædes & tyrannides exercendas colore religionis, & fidei prædicationis, accedere & ut ingredi liceat ut actum est, & patratum à tyrannis qui cæde & strage, universali & generali, tantæ innocentium multitudini vitæ usuram eripuerunt; sed in pacifica, leni & clementi Evangelii prædicatione, & fidei principatusq; Christi introductione, nec ficta fundatione consistit. Qui autem Regibus & Dominis nostris alios titulos, aliaq; jura ad obtinendum summum Indiarum Imperium adinvenire aut trribuere vult, omnino cæcutit, & Dei hostem, Regi infidelem, nationis Hispanicæ, quam, inferos

infamia Sedi Apostolicæ ex donatione.

NB.

NB.

inferos animab. implere cupiens,perniciosè fallit & decipit, innimicum se præbet.Ne igitur plurimi,qui huic adsunt concilio damnosis his opinionib⁹ acquiescant & faveant, consultum erit, ut tam nocenti, & abominandæ opinioni silentium imponatur.Et quamvis in eadem Apologia iis omnibus quæ ad eiusdem confirmationem pertinere videbantur, amplè abundèq; nos satisfeciſle putemus; & existimemus,tamen quia idem doctor objectiones suas iterum patris Soti summaria ad duodecim objectiones reducens,in medium protulit, postulat ratio,& æquitas suadet,ut in eum replicatione utar,& eius esse frivolas, nulliusq; mòmenti defensiones ostendam (quarum secundarum contradictionum duæ,ad rem & propositum facientes sequuntur,)

Vndecimæ replicationis Apographum.

QUod dicitur Indianos in Hispania nova singulis añis 20000. personarum sacrificare,falsum est,& à veritate omninò alienum,imo ne quidem centum vel quinquaginta: si n. hoc veritati non repugnaret, in his regionibus tantus hominum numerus repertus non fuisset quantus repertus est : & hoc à tyrannis ad tyrannides suas excusandas & justificandas,& ut Indiani, qui vindemiis factis supererant,in servitute & tyrannide retinerentur, confictum est,& adinventum. Nos maiori veritate dicere possumus Hispanos toto eo tempore,quo in Indiis fuerunt plures,suę Deæ Avaritiæ tanta diligentia cultæ & adoratæ, quam in tota America centum annorum spatio, imolasse & sacrificasse.Quod cœli,terra & elementa,& ipsi lapides testantur,& clamant,& illi ipsi qui hæc mala patrarunt,non negant.Satis n. notum est & apertum,quanto populo illæ Regiones,cum ad eas accessimus,abundarent & affluerent; & quàm destructæ & desertæ,cum discessimus remanserint.Erubescere & rubore suffundi deberemus,quod omni Dei timore remoto, tam execrandis facinoribus colorem addere, & ea excusare tentemus,cum præcipué cernamus, nos 45. vel 48. añorum spatio regiones maioris longitudinis,quàm sit tota Europa, & pars Asiæ , ob hanc solam causam,ut divitias consequeremur & cumularemus,destruxisse,eas terras deprædantes, & omni crudelitate, injustitia & tyrannide occupantes & usurpantes : quas humanis habitatorib. & incolis refertas vidimus,et in iis ultra viginti hominum Milliones periisse et morti succubuisse , certò scimus.

In duodecima & ultima replicatione hæc verba continentur.

HIspani non honore Dei, vel fidei zelo ducti & incitati. nec ad promovendam proximorum salutem , nec ad inserviendum Regi , ut se falsò iactant , Americam petunt , sed certe sola avaritia & ambitione stimulante , ut in perpetuum tyrannicè Indiis', quos inter se dividi & partiri cupiunt, dominentur, & imperent. Quod, ut syncerè loquar, nihil est aliud, quàm toto illo modo Reges Castellæ spoliare & expellere , & ipsimet supremo & Regio Imperio occupato illud sibi vendicare & occupare.

FINIS.